EXPLICATIO VERARVM CAVSARVM, CVR IACOBVS HERBRANDVS,

Lutheranæ ſectæ in SCHOLA TVBINGENSI Profeſſor, ſuſceptum de IDOLOLATRIA certamen proſequi recuſauerit: cum refutatione falſarum, quas ille prætexuit.

AVTHORE
GREGORIO DE VALENTIA
D. Theolog. Societ. IESV.

Veritas manet & inualeſcit in æternum, & viuit & obtinet in ſecula ſeculorum. Ex hiſtor. ESDRAE.

Cum gratia & priuilegio Cæſar. Maieſt.

INGOLSTADII

Apud DAVIDEM *S*ARTORIVM.

Anno cIↃ. IↃ. xxc.

CHRISTIANO LECTORI S.

Q V A M verè initio confutationis Spongiæ Herbrãdinæ ſignificauerim fore, vt inſipientia iſtius in Eccleſiæ cultu oppugnãdo manifeſta fieret, neque vltrà in eo impio ſtudio proficeret; luculenter ſanè, pie lector, euentus ipſe declarauit. Nam cùm valde petulanter priùs ſuorum in pręfationibus libellorum mihi inſultâſſet, tantùmque non data fide publica promiſiſſet, commiſſurum ſe minimè, vt ſtationem ſuam (hoc enim vocabulo vſus eſt) ex qua impiè agminibus Dei Iſraël, hoc eſt Eccleſiæ ſanctæ maledicebat idololatrięque crimen nefariè exprobrabat, deſereret; latusq; Hiſpani gladio verbi Dei ſe confoſſurum eſſe glorioſè iactauiſſet; adeò ſe turpiter ac miſerabiliter ex arena nuper (proteſtãs ſæpius, ad illam ſe non ampliùs rediturum) proripuit, vt me etiam, qui propter præteritam hominis pertinaciam indignari illi iuſtè poteram, de eiusque pudore gaudere, magna (quod ſincerè vereque teſtificor,) cùm

excuſationem eius legerem, commiſeratione affecerit. Quod ſi non miſerabilis tantùm, ſed ſimul etiam ingenuus fuiſſet, aperuiſſetq; ſimpliciter, quod res erat, ſe veritate victum iam atq; oppreſſum, procedere in mala cauſa nec velle nec poſſe; vel certè miſeria ſua compūctus tacuiſſet; religioni haberem, afflicto confuictoque conſcientiæ propriæ teſtimonio ampliùs refutatione mea dare afflictionem. Nunc autem cùm ſimulârit aſtutè ac finxerit, ſe aliis neſcio quibus rationibus adductum, non cauſa cadere, ſed certamen initum honeſtè declinare velle, ſibi imputare debet, quòd nōdum ipſum ſino, ſed ſubtrahentem ſeſe atque fugientem perſequor donec deficiat. Operæprecium enim eſt controuerſiam concludere, expoſitisque primùm veris cauſis tergiuerſatiōis iſtius, falſisque deinde, quas ille prætexuit, refutatis lectoribus eruditis oſtendere ſtatū, in quo negocium idololatriæ, quod cum ſuis hactenus tantopere vrſit, reliquerit; vt quàm ſint ac fuerint ſceleratæ iſtorū in Chriſti Eccleſiā criminationes ab omnibus intelligatur. Vale & pro me ora.

EXPLI-

EXPLICATIO VERARVM CAVSARVM, CVR HERBRANDVS detrectaueritampliùs diſputare de Idololatria.

I.

VT quod erat controuerſum oſtenderem, non Catholicos idololatras eſſe, ſed ſectarios calumniatores improbos, quòd id crimen illis obiicerent, à quo ſunt in omni cultu alieniſſimi, idololatriam primùm omnium ex receptiſſima ſententia definiui eſſe, cùm diuinus honor creaturæ alicui ſic adhibetur, quomodo debet adhiberi ſoli Deo: expoſitisq́; modis variis, quibus hoc ipſum fieri poteſt, Sigillatim omnia cultus genera ab Eccleſia vſurpata perſequutus manifeſtiſſimè oſtendi, nihil minùs à Catholicis quàm id committi. Cumq́ue amplius triginta Scripturæ locos ad eam definitionem probandam citauiſſem, quibus iſte neque repugnare potuit, neque voluit tamen, vt eſt pertinax, acquieſcere, his illum verbis rurſus in confutatione Spongiæ ſum alloquutus: Cur, inquam, Herbrande negligis occaſionem oblatam probandi nobis in verbo Dei explicando & tradendo peritum te eſſe artificem? cur non ſingula excutis

Non potuit refutare probationē veræ definitionis idololatriæ ex ſcripturis ductā: quod ad cōtrouerſiā maximè attinebat.

Vide Apol. cap. 1. & 2.

In defenſione primi capitis Apologetici.

& explanas, & refutas diſtinctè probationem ex ſcripturis meam etc? Expone igitur tu quemadmodū alicuius rei definitionem ex ſcripturis confirmare oporteat; et idipſum exemplo aliquo atq; vſu tuo declara nobis: tum lector intelliget, quid in probatione definitionis meæ defuerit, vel potiùs quid in tuo iudicio atque doctrina deſideretur &c.] Obmutuit verò ad hac ſcilicet vir Euangelicus. Itaque cùm id, quod poſtulaui, facere reuera non poſſet, ſimulauit ſe facere non velle, prætextis cauſis, cur ſibi mecum diſputandum ampliùs non putaret; de quibus pòſt viderimus. Etenim facultatem ipſi potius quàm voluntatem reſpondendi defuiſſe, illud eſt argumento, quòd ſi quà in re cogitauit, ſe aliquid poſſe dicere, id inter exponendum illas ſuas cauſas minimè omiſit: nam carpſit, vt poſtea videbimus, minutiora quædā, prateritis illis, quæ erant potiſſima! qualis fuit illa probatio definitionis meæ, & alia permulta, quorum aliqua mihi breuitatis gratia in hoc ſcripto diſſimulanda erunt.

Atque manere quidem firmam & inconcuſſam definitionem meam, eò magis iſti eſt pudendum, quò imprudentiùs in ſua ſpongia commiſit, vt vel ipſius etiam teſtimonio conſtaret, il-
Fol. 4. ſpōg. lam eſſe bonam. Oppoſuit enim definitioni meæ definitionem quandam Gerſonis, cum hac commenda-

mendatione: Quantò rectiùs, inquit, Gerſon Doctor clariſſimus idololatriam definit dicens: Idololatria eſt exhibitio honoris verè vel interpretatiuè vel attributiuè diuini alicui creaturæ aliter quàm ſibi poteſt competere. Ita cùm in confutatione Spongiæ manifeſtè docuerim, verbis tantùm non re Gerſonis hanc definitionem à definitione mea diſcrepare, illud iſte hoc teſtimonio Gerſonis conſequutus eſt, vt definitionem huius authoris probãs, probauerit etiam definitionem meam. Quod enim ille dixit: Idololatriam eſſe diuinum honorem creaturæ exhibere ALITER QVAM SIBI POTEST COMPETERE, *ego aliis verbis dixi: tribuere creaturæ diuinum honorẽ quomodo* Soli Deo *exhiberi debet. Modus enim, quo creaturæ diuinus honor tribuitur aliter quàm ipſi, hoc ipſo quòd creatura eſt, poteſt competere, ille duntaxat modus eſt, quo eiuſmodi honor tribui debet ſoli creatori; vt in confutatione Spongiæ maniſeſtè docui.*

Fol. 7.8. & in 4.

Loco citato

Sed opportunum eſt, antequam vlteriùs procedam, hic annotare, qua ratione iſte ex hoc laqueo, in quem ſe Gerſonis authoritatem opponens coniecit, euadere ſit conatus. Vertit nunc tergum videlicet clariſſimo ſuo doctori; & planè miſerabiliter ſuadere nobis conatur, ſe verbis illis: Quantò rectiùs Gerſon Doctor clariſſimus

idololatriam definiuit &c. non abſolutè voluiſſe Gerſonis definitionem laudare, ſed ſignificare tantùm fuiſſe minùs malàm quàm meam. Comparatiuum, inquit, non ſemper præſupponit poſitiuum. Et vſitatus eſt loquendi modus, quo reprehenditur id, quod ab alio dictum vel factum eſt, nec tamen id quod ponitur, per omnia probatur: ſicut etiam dicitur, inter duo mala minus eligendum: quod tamen per ſe nunquam eſt bonum. In quam ſententiam & Chriſtus dicit: Tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij quàm tibi: non tamen Sodomitæ à cruciatibus gehennæ abſoluuntur.] An verò hæc aliquis ſine magna erga hominem commiſeratione, quòd in has ſe coniecerit anguſtias, legere poteſt? Primùm, ſi definitio mea à Gerſonis definitione re ipſa, vti demonſtraui, non differt, nihilo plus quàm definitio Gerſonis diſplicere iſti debuit. Nullum enim planè diſcrimen indicare iſte inter vtramq; definitionem potuit: tametſi indicare ſe velle propoſuit; ſed nihil aliud fecit quàm quòd ex definitione Gerſonis, nulla inter illam & meam differentia monſtrata, probare ineptiſſimè, ſicut antea fecerat, conatus eſt, Eccleſiæ cultus eſſe idololatriam. Deinde, non ſolùm iſte comparatiuo eſt vſus, dicendo, rectiùs idololatriam eſſe definitam à Gerſone, ſed etiam (quod in explicatione cauſarum

In explicatione cauſ. fol. 52.

diſſi-

diſſimulauit) ſuperlatiuo; eum appellans clariſſimum doctorem, & quidem cum emphaſi illius interrogationis: Quantò rectius Gerſon doctor clariſſimus &c. vt præſtantia videlicet authoris commemorata ſuaderet facilius definitionem ab eo aſſignatam, non minus malam aut tolerabiliorem ſed omnino bonam atq; abſolutam eſſe. Vt igitur, ſi Chriſtus dixiſſet: Quantò melius agetur in illa die, cum terra Sodomorum hominum optimorum &c. quilibet intelligeret comparatiuum in ea oratione præſupponere poſitiuum adeoq; non tantum minus malè, ſed etiam bene cum Sodomis actum iri: ita mihi ac Herbrando quoq;, vt de illius conſcientia nihil dubito, certum eſt, illius orationis: Quantò rectius Gerſon doctor clariſſimus etc. ſenſum fuiſſe, idololatriam ab eo auctore omnino rectè fuiſſe definitam. Quod vt antea monui, encomium eſt etiam definitionis meæ, quippe quæ non differt à definitione Gerſonis.

II.

Neq; potuit tueri definitionem ſuã.

NIHILO *magis definitionem idololatriæ ſuam, qua cõtumelias in Catholicos iniquiſſimas conatus eſt iuſtas facere, vel confirmare vel defendere potuit. Cùm enim eam ita confutauerim, vt ad oculum etiam oſtenderim, non ſolùm cum Scriptura ſacra & ratione pu-*

In defenſione ſecundi capitis apologetici.

gnare,ſed etiã ſectarios ipſos idololatriæ manifeſtæ redarguere, an iſte tacere ea in re potuiſſet, ſi omnino quidquam potuiſſet loqui? Poſtulaueram vt definitionem mihi idololatriæ breuem, ipſius genere & differentia ſecundùm artem definiendi monſtratis aſsignaret. Reſpondit, In ſpong. fol. 3. a. *genus eſſe* CVLTVM *differentiã verò* PRAETER VERBI DEI RATIONEM: *vt idololatria definiri debeat. Cultus præter verbi* In ſpong. fol. 7. a. & 10. b & aliis. *Dei rationem inſtitutus. Itaque conceſsit ſæpius cultum ex quacunq; mala circumſtantia prauum exorbitãtemq́; à verbi Dei ratione eſſe idololatriam.*

Obieci autem 1. Commune omnibus peccatis eſſe, vt præter verbi Dei rationem admittantur; 1. Ioan. 3. *cùm iuxta Apoſtolum Ioannem, peccatum ſit iniquitas; id eſt, exorbitatio ſiue obliquatio à prima regula bonitatis, quæ eſt ratio diuinæ ſapientiæ, atque adeò diuini verbi: Quod autem omnibus peccatis commune eſt, id ſine ſumma ſtultitia non poſſe tanquam differentiam propriam vni peccato (quale idololatria eſt) attribui.*

2. Conſequẽs ex ea definitione eſſe, vt qui prauo fine propoſito, aut animo alienis cogitationibus diſtracto orat, aut quauis alia ratione in cultu peccat, idololatriam committat, quia in cultu verſatur præter verbi Diuini normam:

quod

quod eſt paradoxon. Nam tunc Paulus cùm ex zelo quodam religionis perſequebatur Eccleſiam Dei, commiſiſſet idololatriam.

3. *Si ea definitio vera eſt, ſæpe veram idololatriam cõmittere ſectarios: niſi fortè diuinum priuilegium habeant vt in cultu nunquam ob malum modum aut finem &c. præter Diuini verbi rationem peccent.*

4. *Non bene definitionem eam cum definitione Gerſonis ab iſto approbata conuenire: in qua ille ponit, idololatriam eſſe, cùm alicui creaturæ honor diuinus defertur aliter quã illi poteſt competere: quoniam cultus à ratione diuini verbi auerſus inſtitui poteſt, qui ad nullam omnino creaturam, ſed ad ſolum Deum pertineat. Vt cùm quis aut falsò aut ſine conſideratiõe neceſſaria per Deum iurat, aut labiis ipſum tantummodo ad humanam gloriam captandam, non ex corde honorat &c.*

5. *Neque* CVLTVM *eſſe genus proximum idololatriæ, cùm ſit aliquid rectis etiam officiis religionis commune: idololatria verò ſit in genere mali. Proinde neq; genus neque differentiam idololatriæ iſtum ſua in definitione poſuiſſe, ſed deſcripſiſſe potiùs ignorantiam ſuam cùm genus* CVLTVM, *differentiam* PRAETER VERBI DEI RATIONEM, *eſſe deſcripſit.*

Quo-

Quocirca & temeritatem illi exprobraui, quòd vt nos petulantiùs idololatriæ accuſare poſſet, eam protulerit definitionem idololatriæ, quæ ſi vera eſt, ſe ipſum (vt argumento tertio docui) & gregales ſuos idololatriæ quoq; accuſare, & vt ethnicos atq; idololatras, iis maledictis & conuitiis omnibus, quæ in nos eo nomine iniquè iacit, proſcindere debeat: quodq; non ſit veritus, ne Lutherani ſui præſertim ingenui ac nobiles hanc ſuam in ipſos improbam turpiſſimamq; contumeliam ſeuerè vlciſcantur.

Quæ volui hunc in modum ſummatim repetere, vt prudentes iudicent, an hæc fuerint talia, quæ credi poſſint, ab iſto ſponte fuiſſe prætermiſſa; & non potiùs neceſſitate compulſum hîc ipſum obmutuiſſe, cùm neq; potuerit prorſus nec vnquam poſſit, etiamſi contra proteſtationes ſuas, iterum in arenam deſcendat, ipſa ſatis expedire. Ad perpetuam igitur rei memoriam *volo turpe ſilentium iſtius luculentum teſtem eſſe, quod non aliud quàm inſcitia veræ rationis idololatriæ cum impudentia temeritateq; coniuncta aduerſariis hactenus contra omne ius & æquitatem calumnias & contumelias improbiſſimas in Catholicos ſuppeditauerit.*

III.

III.

PORRO, *niſi præter modum iſte ſit ſtupidus, proculdubio ſentit id, quod ex ipſius etiam grege quoſdã odoratos eſſe intelligo, quadã videlicet in ſcriptis noſtris cõtra ipſum, quamuis mediocriter eruditis perſpicua ſint, ſibi tamen, vtpote puro & ſimplici cõtrouerſiſtæ Lutherano, neq; ſatis in Theologicis rebus exercitato difficiliora eſſe, quàm vt ea ita poſſit aſſequi, ſicut neceſſe haberet ad impugnãdum. Quare ſuſtinere ampliùs eam moleſtiam non potuit, quàm ei hactenus attuli, cùm popoſci, vt refutaret ex meis nonnulla, quæ cùm ad explicationem rei maximè facerent, ipſe quòd minimè comprehenſa haberet, aut præteriuit, aut ſic leuiter attigit, vt proderet ingenij tarditatem. Quæ res ex aliquot locis eius tractatus, quo refutaui calumnias ſpongiæ, ad quæ nihil ille reſpondit, facilè colligi poteſt.* Aliqua non ita intellexit vt oportebat ad refellendum.

Cùm enim affirmauiſſet, cultum ex quacunque circumſtantia prauum, idololatriam eſſe: idq; obiicerem cum Gerſonis definitione ab ipſo probata non congruere, eò quòd ſuſcipi aliqua ratione prauè cultus poſſit, ſic, vt nulli creaturæ honor diuinus aliter quàm ipſi poteſt competere (quod Gerſon idololatriam eſſe definit) adhibeatur; vt ſi eo tempore quis vacare orationi inſtitue-

ſtitueret, quo tempore paranda eſſent familiæ neceſſaria aut ſi de induſtria inter orandum cogitatione vagaretur &c. hunc in modum ſubiunxi. Quod ſi tanta ſagacitate præditus es, vt quotieſcunq; cultus veri Dei prauè vſurpatur, creaturã inuenire poßis, cui diuinus honor aliter quàm ipſi poteſt competere, deferatur, habes à me aliâs expoſitum, quid ſit creaturæ alicui honorem diuinũ dare ſicut Deo, ſiue eo modo, quo ipſi non competit; tum etiam quàm variis modis hoc fieri poßit; oſtẽde ex ea doctrina quouis cultu vndecunq; prauo idipſum fieri. Vel, ſi tibi doctrina illa mea non placet, refuta diſertè eam; quod hactenus cùm eam nõ ſis aſſequutus, facere neq; tentâſti neq; potuiſti, & trade tu aliam, ex qua idipſum doceas, vt magis ipſe te miſer implices atq; redarguas.]

Vide confutat. ſpongiæ fol. 13. in 4. & 311. in 8.

Item: Non reſpondes, inquam, ad Scripturæ teſtimonia præſertim Hieremiæ & Apoſtoli, quibus ego diſertè confirmaui, idololatriam duo continere, nempe auerſionem à vero Deo, & conuerſionem ad creaturam tanquam ad Deum: proindeq́; cultu prauo, qui Deum verum pro ſcopo habeat, cõmitti, vt tu Caluinum ſequutus vis, non poſſe.]

Confutat. ſpõg. fol. 13. in 4. & 312 in 8.

Item: Quæ de exemplis à me allatis attingis non merentur, inquam, reſponſum, quia non es aſſequutus, quorſum ea contulerim, nec illa inte-

Vide cõfut. ſpõg. in defenſiõe c. 3. Apologeti-

gra

gra recitaſti, vt id poſſet lector intelligere, & animaduertere ignorãtiam tuam.] Quod num à me iniuria dictum ſit, lectorem obſecro, vt inſpectis vtriuſq; locis diiudicet.

ci & loca ibidem citata etiã ex aduerſario.

Item: Illud neſcio quomodo interpreter, quòd me dicis idololatriæ tantùm externæ rationem explicauiſſe, & tamen minimè refutas, quæ hoc loco de differentia externæ & internæ idololatriæ diſputaui: ex quibus euidẽter apparet, vtrãque illa ipſa definitione idololatriæ, quam tradidi, comprehendi. Si idololatriam internam appellas tu illam, quam ipſe finxiſti, nempe cultum quacunq; ratione illicitum, fateor in definitione mea illam comprehenſam non eſſe; quia idololatria non eſt, niſi fortè metaphoricè, vt ſæpius oſtẽdi. Idololatria autem illa, quam Theologi internam appellant, alia longè eſt, cuius rationem ſatis explicaui. Relegas iterum diligentiùs.] Quæ præterea diſſerui, vt definitionem Gerſonis ſuprà memoratam oſtenderem non differre à definitione mea, certus etiam ſum, iſtum minimè comprehendiſſe.

Confutat. ſpõg. in defenſ. 4. cap. Apologet.

Sed non eſt neceſſe plura loca recitare, cùm lector per ſe, tùm in confutatione, tùm in Apologetico paſſim multa obſeruare poſſit, ex quibus ſi citata præſertim aduerſarij loca diligẽter cum noſtris conferat, facilè intelligat, facultatem iſtius, ſicut & collegarum ſuorum, ad intelligen-

dum

dum & ad diſſerendum eſſe valde debilem. Quæ cauſa etiam eſt, cur vel titulum ipſum de IDOLOLATRIA, *quòd id argumentum per ſe propoſitum non eſſet ſatis tritum, illudq́ adeò non ſatis comprehendere ſe videret, ab initio cōtrouerſiæ neſcio quo pacto exhorruerit. Nam cùm ſæpe declarauerim, non de integro me locum de cultu Euchariſtiæ, Sanctorum imaginum, & reliquiarum tractandum ſuſcepiſſe, ſed de idololatria voluiſſe agere, vt demonſtrarem in eiuſmodi cultibus idololatriam certè non committi; Ipſe cùm aliâs tum maximè in inſcriptione libelli in quo ſe, quò minùs diſputare pergat, excuſat, de illis cultibus principaliter, num ex omni parte recti ſint, controuerſiam ſibi mecum fuiſſe ſimulauit. Appellat enim explicationem cauſarum, cur cum N. de mortuorũ inuocatione, panis conſecrati, imaginum, ſtatuarum reliquiarumq́ adoratione, pluſquam ethnica idololatria amplius non ſit diſputandum. Vt inſinuaret ſuis videlicet non aliquam diſputationem ſibi malè exploratam ſed tritam atque peruulgatam, alias ob cauſas, quàm ob inſcitiam, defugere.*

Ca. 3. diſputat. de idololat. & in p̄ſat. Apolog. vide etiã in cõfut. ſpõg. in defenſ. p̄ſat. Apolog. ſub finem.

In præfatione primæ diſputat. ſuæ pagina 2.

IIII.

CREDO etiã *obſeruauiſſe, ipſummet, quemadmodũ cùm expedire ſe vult, atq;*

atq; euadere, magis ac magis ſeſe implicet; ſic vt ad paradoxa quædam abſurda, quaſi fortuitò, vt mihi videtur, atque inuitus quodammodo deuolutus ſit; quæ ne porrò cumulet, nõ ſtultè ſapit, quòd voluerit finem ineptiendi facere. Tale eſt, quòd ſine ratione, ſine teſtimonio effutiuit, vouendi religionem, olim ab Iſraëlitis etiam vſurpatam, ceremoniam veteris legis fuiſſe, quæ nihil magis ad nos quam circumciſio & ſacrificia Iudæorum pertineat. Cùm tamen valde illuſtre ſit vaticinium illud Iſaiæ de Eccleſia: Cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis et in muneribus, & vota vouebũt *Domino.* Veritus eſt cumulare paradoxa, q̃ aliàs inter diſputandũ effutiuit. Ih ſpong. fol. 12. b. Iſai. 19.

Tale quoq; & illud eſt paradoxon, cum eo, quod iam recenſui, parum etiam cohærens, præceptum impoſitum eſſe vouẽdi Dauidicis illis verbis: Vouete & reddite Domino Deo veſtro.]. *Adeò enim iſte oblitus fuit nõ tantùm ſui, qui in ſpongia diſertè dixerat, neminem vlla lege fuiſſe coactum ad vouendũ, ſed etiam mei, qui in Apologetico (vbi vota ſponte nũcupata Deo, iſtorum delirationi, quæ cultum ſpontaneum damnant, obieci) ad illud ipſum paradoxon, in quod iam iſte incidit, euertendum, huiuſmodi præoccupatione ſum vſus: Dicent fortaſſis, inquã, vota verbis illis præcipi: Vouete et reddite Domino Deo* In explicat. caularum, fol. 31. Pſalm. 75. Fol. 12 à. Fol 17. b. in 4. & 127. in 8.

veſtro. Nam & ſolent iſti contra ſcripturas delirare, quidquid homo facere bene poteſt, hoc totum ex præcepto illum facere debere, neq; vllum eſſe conſilium. Si ita eſt, inquam, examinet ſe Herbrandus, & videat, vtrum per inchoatam ſaltem & mancam illam ſuam legis obediētiam adimpleuerit vnquam id vouendi præceptum. Quod ſi non fecit, in peccato contra conſcientiam violatæ legis (vt iſti loqui ſolent) hærebit, ac proinde, iuxta ipſorū doctrinam, & fide & gratia carebit, & Hellbrand erit.] An non eſt igitur homo iſte miſerabilis, qui oblitus huius loci Apologetici, idipſum mihi nunc obiecerit, quod antè etiam quàm obiiceret confutaui?

Sic etiam, vt argumentum, quod ex volun-
Pſal. 118. tario iuramento Dauidis (cùm dixit: Juraui & ſtatui cuſtodire legem Dei mei) pro voluntario cultu duxi, euaderet, paradoxon alterum æquè abſurdū ponere coactus eſt; Juſſos videlicet fuiſſe iurare Iſraëlitas, verbis illis: Per nomē Domi-
Deuter. 6. ni Dei tui iurabis &c. (cùm tamen certum ſit, eorum verborum vim non fuiſſe, vt abſolutè iurarent: & multò minùs, vt iurarēt hoc aut illud: Nemo enim peccare exiſtimaſſet eum, qui in omni vita iuramento abſtinuiſſet, ſed ſenſus eſt, vt non niſi per veri Dei nomen iuraretur, cùm eſſet iurandum.

In explicat. cauſ. fol. 54. Alterum verò paradoxon, cùm negat, Sanctos

ctos non modò non per naturam, ſed ne quidem munere diuino cognoſcere vllo modo renes & corda hominum poſſe, etiam aduerſus diuinam potentiam blaſphemum eſt. Non enim eſt impoßibile apud Deum omne verbũ; id eſt, omnia diuina virtute fieri poſſunt, quæcunq; ſunt eiuſmodi, vt ſi fiant, nullam in iis repugnantiam intelligentia humana notare poßit, ſed ea potiùs verbo mentis concipere atq; explicare ſine contradictione valeat, è quorum numero dubium non eſt, quin ſit occultarũm cordis cogitationũ cognitio, quæ quidem non ſit creatura naturalis (ita enim corda intueri proprium eſt Dei) ſed aduentitiâ munere diuino. Lucæ 1.

Quam rationem ſi Herbrandus non aſſequitur, Scripturæ diuinæ ſaltem cedat neceſſe eſt: ex qua licet colligere nõ tantùm fieri poſſe, ſed factũ etiam aliquoties eſſe, vt aliquis docente atq; ſuggerente Deo occulta conſilia cordiũ perſpiceret. Cuius rei exempla tria, quæ mihi quidem iam ſunt in promptu, ſatis erit producere.

1. *Cum vxor Ieroboam regis, commutato habitu, ne cognoſceretur, Abiam Prophetam ſciſcitandi cauſa de filij ægroti valetudine conueniret; Ecce, inquit Dominus ad Abiam, vxor Ieroboam ingreditur,* VT CONSVLAT TE *(hîc certè alieni cordis propoſitum Prophetæ fuit diuinitus indicatum, antequam alia via ipſi ma-* 3.Reg. 14.

nifeſtaretur) ſuper filio ſuo qui ægrotat, hæc & hæc loqueris ei. Cum ergo illa intraret & diſsimularet ſe eſſe quæ erat, audiuit Ahias ſonitum pedum eius introeuntis per oſtium, & ait: Ingredere uxor Ieroboam &c.]

4.Reg 5. 2. *Sic etiam Eliſæus improbi Giezi conſilium Deo reuelante peruidit; Siquide ei, acceptis, falſo & ementito, prætextu, à Naaman muneribus domum reuertẽti dixit: Vnde venis, Giezi? Qui reſpondit: Non iuit ſeruus tuus quòquam. At ille ait: Nonne* COR MEVM, *in præſenti erat, quando reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Nunc igitur accepiſti argentum, et accepiſti veſtes* VT EMAS *(en Giezi cõſilium) olueta & vineas &c.]*

Actor. 5. 3. *Nec minùs diuinè ac mirabiliter Petrus, cùm Ananias conſcia tantùm vxore ſua occultiſsimo conſilio de agri precio fraudauiſſet, partemq́; tantùm ad Apoſtolorum pedes poſuiſſet; Anania, inquit, cur tentauit Satanas* COR TVVM MENTIRI TE *Spiritui ſancto, et fraudare de precio agri. Nonne manens tibi manebat et venundatum in tua erat poteſtate?* QVARE POSVISTI IN CORDE TVO HANC REM?] *An non hîc munere diuino Petrus abdita cordis Ananiæ cõſpexit? Qualis eſt igitur blaſphemia illa Herbrandina, Non ſolùm, inquit, non per naturam,* SED NE QVIDEM

MVNE-

MVNERE DIVINO cognoſcere vllo modo (Sancti) renes & corda hominum poſſunt?

Eſt illud etiam paradoxon, cum Scriptura et communi omnium ſenſu pugnans, quod iſte à Caluino videtur didiciſſe: Iſraëlitas, cùm in deſerto vitulum aureum adorauerunt, non Apim, ſanctum Ægyptiorum bouem, vt Marcus Tullius deridens loquitur, ſed verum Deum in vitulo repræſentatum. Quod ego commentum ex diuina Scriptura reuici; citato etiam Clementis Romani teſtimonio, vbi notat, Apim illum ipſos coluiſſe. Ad quæ iſte nihil vnquam reſpondit, etiamſi in confutatione ſpongiæ his illum verbis laceſſiuerim: Porrò qua fronte contendis iterum, Iſraëlitas, cùm in deſerto peregrinarētur, Deum verum in aureo vitulo veneratos eſſe, priuſquam ad Scripturæ teſtimonia & rationes reſpōdeas, quibus antè probaui, te quòd in hoc dogmate cum Caluino cōſentis eſſe planè ſtultū. Sed ad explicationē quartæ cauſā hæc exempla modo paradoxorū Herbrandi erūt ſatis.

In priori diſputa. conc. 24. & in ſpōgia fol. 6. Calui. li. 1. inſtit. c. 11. Li. 1. de natura Deorū. Vide in prima noſtra diſpu. ca. vltimo, & in Apologet. fol 53. in 4. & 255. in 8. fol. 53. & in cōfu. fol. 14. in 4. & 313 in 8. Li. 1. conſtitutio: Apoſtolicarum cap. 6. In confutat. ſpong. loc. citato.

V.

TRANSEO nunc ad ſcripturæ diuinæ corruptelas, quas ſæpius ipſi à me obiectas defendere etiā nullo modo potuit. Demonſtraui enim planè per antitheſim interdum ipſius verba Scripturæ verbis aduerſari.

Non potuit defendere Scripturæ corruptelas ſibi obiectas.

Fol. 37. in 4. & 356. in 8. *Ut cùm in ſpongiæ confutatione dixi: Quæ autem eſt illa impudentia, quòd locum illum Apo-*
1. Ad Corinth. 10. *ſtoli, vbi ait, ea quæ gentes immolant, dæmoniis immolant & non Deo, tu ſic interpretaris, vt Deo vero velis ipſos immolauiſſe, ideoq́ ſolùm dæmoniis immolauiſſe dici, quia ſine diuino præcepto Deo immolauerũt. Conferamus, inquam, proprius textum cum gloſſa. Apoſtolus inquit: Quæ immolant gentes,* DAEMONIIS *immolant &* NON *Deo. Tu autem exponis: Quæ immolant gentes,* DEO *immolant,* NON DAEMONIIS; *niſi quòd dæmoniis immolare dicuntur; quia ſine præcepto Deo immolant.*

In Apologe. fol. 14. & 15. in 4. & 119. in 8. *Atq́ item alibi, cùm in iſtum iuſtiſſimè inueherer, quòd locum illum Hieremiæ: Secũdùm numerum ciuitatum tuarũ erant Dij tui Iuda; Sic interpretaretur, vt Deos illic Hieremias intelligeret non idola, ſed altaria quibus contra legem Deo vero in quibuſuis ciuitatibus ſacrificia fierent, hunc in modũ ſubiunxi: Conferat quæſo æquus lector cum Propheta pſeudoprophetã, hoc eſt, Herbrandum cum Hieremia, & attendat*
Hierem. 11 vbi latiùs declaratur qui fuerint illi Dij Iudæ ſecũdùm numerũ ciuitatum. *quàm iſti conuenienter diuinæ ſcripturæ ſcilicet ratiocinetur. Hieremias, inquit: Ibunt ciuitates Iuda et ciuitates Hieruſalẽ et clamabunt ad eos* QVIBVS LIBANT, *& non ſaluabunt eos in tempore afflictionis eorum: Secundùm numerum enim ciuitatũm tuarum erant* DII TVI IVDA, *& ſe-*

& ſecundùm numerum viarum Hieruſalem poſuiſti aras confuſionis, ARAS AD LIBANDVM BAALIM] *Herbrandi autem verba, inquam, ſunt iſta: ſecundùm numerum ciuitatum tuarũ erant Dij tui Iuda: Quia, inquit, in his omnibus et ſingulis altaria extruxerãt, in quibus* IMMOLARENT DOMINO *Deo* ISRAEL *&c.*] *Hieremias affirmat, aras cõfuſionis in ſingulis ciuitatib. conſtruxiſſe illum populum ad ſacrificandum Baalim; Herbrandus cõtrà ad ſacrificandũ non creaturæ aut idolis, ſed ſoli Domino Deo Iſraël. Iudicet nunc, inquã, ipſemet, vtri nam potiùs ſit credendum, et ferat æquo animo, ſi propter antitheſin interpretationis eius et ſentẽtiæ Hieremiæ* ANTIPROPHETAM *ipſum vocemus.*] *Et ægrè quidẽ tulit, quòd nouo eo vocabulo ipſum appellauerim, ſed ad rationem euidẽtem, quæ mihi vt id facerem, ſuppetiuit, non reſpondit: ſicut illi etiam in confutatione Spongiæ obieci.*

In diſputat. 1. concluſ. 14. & 15.

Fol. 20. in 4 & 320. in 8.

Tum in eadem confutat. Interim, inquam, de illo loco Apoſtoli: Scimus quia nihil eſt idolum in mundo, quem tu priùs ad cogitationem falſam de vero Deo peruerſiſſimè detorſiſti, nihil es auſus dicere, quoniam ex eodem Apoſtolo cõuici, neceſſariò de idolo vel creatura, quæ falsò putetur Deus, non autem de ipſa falſa cogitatione circa verum Deum eſſe intelligendũ.] *Quod ipſum vel ex eo etiam, vt iam hoc addam, euidentiſ-*

Fol. 35. in 4 & 352. in 8.
1. Ad Corinth. 8.

Vide fol. 21. Apologet. in 4 & 139. in 8.

 dentiſ-

dentiſſimè patet, quòd de idolo loquitur Apoſtolus, cui ſolitæ eſſent immolari eſcæ. Ait enim: De eſcis quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo &c. Itaq; tam ineptum eſt, idolum eo loco falſam cogitationem de vero Deo interpretari, quod iſte ſua corruptela fecit, quàm ſtultum eſt cogitare, eſcas fuiſſe vnquam immolatas ipſi falſæ cogitationi, non alicui alteri creaturæ aut idolo.

Pſal. 105. *Præterea, quod David de Iſraëlitis cõmemorat. Et commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum & ſeruierunt* SCVLPTILIBVS *eorum & factum eſt illis in ſcandalũ, & immolauerunt filios ſuos & filias ſuas* DAEMONIIS, *& effuderunt ſanguinem innocentem ſanguinem filiorum et filiarum ſuarum quas ſacrificauerunt* SCVLPTILIBVS *(*CHANAAN.*] adeò*

Fol. 12. ſpõgiæ. *peruersè contra perſpicua Prophetæ verba iſte interpretatus eſt, vt funeſta hæc parricidaliaq; ſacrificia dixerit, Iſraëlitas iſtos obtuliſſe non Dæmoniis et ſculptilib⁹, ſed vero Deo; eatenusq; tãtùm Davidem dicere, oblata fuiſſe dæmoniis & ſculptilibus, quatenus vero Deo fuerunt ſine*

Vide in cõfutat. ſpongiæ fol. 26. in 4. & 334 & 335. in 8. *ipſius præcepto oblata. Quæ an non eſt ineptiſſima ſimul & impia loci deprauatio? Verùm ſi corruptelas omnes, quæ in iſtius cõtra me ſcriptis occurrunt, perſequerer, vix aliquid in ipſis poſſem relinquere.*

VI.

VI.

SED neque explicare vir bonus potuit, quemadmodum in pleriſq; ſecum ipſe non apertè pugnauerit. Quod enim affirmat B. Auguſtinus, multa facienda eſſe non iubente lege, ſed libera charitate; eaq; gratiora eſſe Deo in officiis noſtris; hoc iſte primũ de quibuſdã charitatis operibus adiaphoris intelligendum eſſe dixit: Deinde ſubiunxit tamen, ipſa opera charitatis nequaquã eſſe libera, vt liceat illa facere vel nõ facere; ſed maximè verbo Dei eſſe præcepta. Cui ego: Si adiaphora ea opera charitatis, de quibus Auguſtinus loquitur, non iubente lege ſed libera charitate ſiunt, quomodo ſunt maximè præcepta?

Non potuit concordare propria dicta inter ſe pugnantia.

Lib. 1. de adulterin. cõiug. ca. 14.

Fol. 11. ſpõgiæ.

Vide in confuta. ſpong. fol. 23. in 4. & 329. & 330. in 8.

In ſpongia item: Vota, ait, ita ſpontanei fuerunt cultus, vt nemo ea facere cogeretur lege, ſed liberum erat vouere vel non. Poſtea vero inquit, vota ceremonias fuiſſe; quas tamen conſtat lege fuiſſe præſcriptas. Et apertius in explicatione cauſarum, vouendi præceptum etiam ſpeciale dicit contineri illis verbis: Vouete & reddite Domino Deo veſtro.

Fol. 12. a.

Fol. 12. b.

Deuter. 5. 6. 10. 26. &c.

Fol. 31.

Pſal. 75.

Porro; iam hæreſes & falſa dogmata aliud peccatum ab idololatria propriè dicta eſſe[a] fatetur: Iam cogitationes falſas de Deo, & quæ-

a Fol. 4. b. ſpongiæ & cõc. 20. prioris diſputationis.

b fol. 16. & deinceps in ſpong. Vide in confutat. etiam fol.9. & 35. in 4.

cunque falſa dogmata veritati contraria idolatriam propriè eſſe[b] *contendit, Quæ* ἀντιλογία *eò turpior eſt, quòd antea in priori loco pernegauerat ſe vnquam ſenſiſſe, quòd hæreſes ſint idololatria propriè. Sed comes eſt erroris inconſtantia.*

VII.

Non potuit oſtendere quędã fuiſſe fideliter à ſe allegata.

Fol. 47. a ſpong. In confutat. ſpõg. fol. 56. in 4. & 331. in 8.

In loco de veneratione ſanctorum ſub finem.

ILLVD *deterius, quòd allegauit quædã mala fide neq; falſarij crimen à me ſibi obiectum diluere potuit. Ut quòd Eckius ſcripſerit, innocationem Sanctorum non tantùm mandato, ſed etiam verbo Dei carere: atque ita habere ipſius verba. Quam ob cauſam dixi eum crimen crimine cumulare. Nam lector, inquam, hæc verba apud Eckium inueniet: Explicitè non eſt præcepta Sanctorum inuocatio in ſacris literis. Atq; etiam iſta: Noluit ergo Spiritus ſanctus expreſſis Scripturis docere venerationem Sanctorum: Sed inuocationem Sanctorum, & verbo & mandato Dei carere, quæ tu Herbrande dicis eſſe verba Eckij, non inueniet; atq; ita deprehendet, quantus ſis amicus veritatis. Intellexit enim ille, cùm eſſet eruditus, verbum Dei latiùs quàm expreſſas Scripturas patere. Quod tu non credis, quia, vt antè ſignificaui, ex eorum*

grege

grege es, qui ſoli hoc non credunt, nimirum hæreticorum.]

Item, Concilium Tridentinum (quod iſte conciliabulum ſacrilegè vocitat) ponere, vnum & idem eſſe Euchariſtiam & Chriſtum; cùm tantùm definiat in Euchariſtia eſſe præſentem Chriſtum. Fol. 22 à ſpõgiæ. Vide cõfut. fol. 42. in 4. & 364. in 8.

Item, Auguſtini verba manifeſta eſſe, genus quoddam idoli fuiſſe, quod extra Dei tabernaculũ aliquid ſimile, vbi Deus coleretur, fecerit Gedeon. Hoc enim peccatum fuiſſe dixit quidem abſolutè Auguſtinus, non autem fuiſſe idololatriam. Aug. q. 41. in lib. iudicum. Vide confu. fol. 17. in 4. & 318. & 319. in 8.

Item, genus ipſum venerationis imaginum inter hæreſes recenſuiſſe Auguſtinum; cùm tantùm ille commemoret priuatam in eo genere ſuperſtitionem cuiuſdam Marcellinæ & Carpocratianorum. Hæreſi 7. Vide confu. fol. 60. in 4. & 399. in 8.

Item, eundem Auguſtinum in eo loco Eccleſiæ conſuetudinem venerãdi reliquias taxare, vbi vniuerſales Eccleſiæ conſuetudines, qualis ea procul dubio eſt, maximè commendat; ſicut antea oſtendi &c. Epiſt. 118. Vide in confut. ſpong. folio 64. & 65. in 4. & 405. in 8.

VIII.

IAM verò quia vidit, ſe cum veritate quoque in gratiam redire non poſſe, niſi apertè culpam deprecaretur, quòd plu- Neq; mẽdacia ipſi obiecta diluere potuit.

plurimis mendaciis ipſam, vt ſæpe demonſtraui, iniuria affecerit, diſſimulare maluit cum illa ſibi quidquam fuiſſe certaminis. Veriſſimè enim in præfatione confutationis ſpongiæ affirmaui, & iterum modò affirmo, ampliùs quàm centum mendacia in ſpongia iſtius me notauiſſe: Numeraui enim, non ſemel, centum & nouem; quæ in margine habeo ſignata, vt poſſim oſtendere, ſi quis per ocium & opportunitatem poſtulet.

Peculiariter autem obſeruet lector, vt iam alios locos prætercam, illa quæ in confutatione ſpongiæ his locis notaui, in præfatione pag. 2. ſub finem. | & fol. 2. b. in 4. ſub finem. in. 8. autem fol. 292. lin. 11. | & fol. 9. lin. 8. & lin. 23. in 4. in 8. autem 303. lin. vltima & 304. lin. 19. | & fol. 18. lin. 16. in 4. in 8. verò fol. 320. lin. 8. | & fol. 37. lin. 13. in 4. in 8. autem fol. 353. linea. 15. | & fol. 41. lin. 11. in 4. in 8. autem fol. 363. lin. 8. | & fol. 42. lin. 9. in 4. in 8. autem fol. 365. lin. 4. | & fol. 49. lin. 3. in 4. in 8. autē fol. 377. lin. vlt. | & fol. 55. & 56. in 4. in 8. autē fol. 390. & 391. | & fol. 61. lin. 1. in 4. in 8. autem fol. 400. lin. 2. | Hæc inquam loca lector potiſſimùm obſeruet, & cum locis ibi ex aduerſario citatis conferat; ac iudicet, num mihi venia dari non debeat, quòd propria loquutione vſus aliquoties apertè dixerim iſtum fuiſſe mentitum. Neque verò in excuſatione

tione ſua, cur noluerit ampliùs diſputare, ab hoc turpi officio temperauit ſibi. Numeraui enim ter, ne deciperer, duo & octoginta mendacia, quæ bona fide ad marginem etiam illius libelli, quantumuis breuis, conſignaui: quæq́; ordine recenſere poſſem, niſi tæderet me diutius verſari in hoc genere.

IX.

Non habet ampliùs q̃d aut dicat, aut etiã conuicietur.

DENIQVE *adeò iam pauperculus eſt exhauſtus, vt non tantùm argumentis vel ad me oppugnandum vel ad ſe defendendum ampliùs deſtituatur, ſed ne conuicia quidem, quibus me proſcindat, inuenire poßit noua. Exinaniuit enim omnes locos communes & ſuos & alienos, vnde maledicta depromit. Vocauit me diabolum, impoſtorem, Sycophantam, nebulonem, canem, beſtiam, fanaticum & vaniſſimum, Eſauitam, nequam, cæcum, amentem, impium, prophanum, ethnicum, hypocritam, blaſphemum, nequiſſimum idololatram, monſtrum, à quo omnes ſibi cauere debeant; & quid non? Quæ me certè non niſi ad magnam miſerationem erga iſtum commouent; neque ipſam contumeliam tam ſentio (quid enim curarem maledicta hominis hæreſeos nota infamis) quàm quòd indi-*

gnus

gnus planè ſim, qui pro nomine IESV *contumeliam patiar. Verùm tempus eſt, vt confutatione quoque falſarum cauſarum, ob quas iſte finxit, de idololatria ſe mecum ampliùs diſputare nolle, veriores me eius conſilij cauſas hactenus attuliſſe, confirmem.*

REFV-

REFVTATIO CAVSARVM QVAS FALSO PRÆTEXVIT Herbrandus.

I.

CVM TAM MVLTA, TAM magna, tam aperta mendacia iſtum paſſim in ſuis contra me libellis effutiuiſſe, tum in Apologetico, tum in Spongiæ Confutatione manifeſtè oſtenderim; mirum profectò eſt, eum tam effrontem fuiſſe, vt illis nōdum dilutis, auſus fuerit mendaciter mihi hoc loco mendacia opponere; quorum tamen ait aliqua ſe tantùm ex primis paginis Confutationis Spongiæ proferre velle, non omnia. Bene autem habet quòd eiuſmodi ſunt ea loca, quæ ex tractatu illo meo commemorat, vt prudentes facilè intellecturi ſint, ipſum ne aliqua quidem potuiſſe verè mihi obiicere mendacia; ſed affectauiſſe miſerum calumniam, quam in hoc etiam genere mihi exſtrueret; vt vel hac ratione ſimplicioribus ſuaderet, non ſe ſolùm in hac controuerſia fuiſſe mendacem.

I. *Primum enim mendacium admodum ſanè ridiculè eſſe ait, ipſum titulum & inſcriptio-*

nem

nem illius mei libelli, quòd videlicet eum nominarim Confutationē Calumniarū, quas Heerbrandus Spongia ſua complexus ſit, &c. Atque vt eum titulum falſum eſſe confirmet ſolam mihi obiicit auctoritatem ſuam, dicens ſe Scripturæ ſacræ teſtimoniis confirmauiſſe ſua, ac mea refutauiſſe. Quo ipſo adeò non probat mendacium aliquod meum, vt etiam mēdacia ſua cumulet; quemadmodum lector, quem huius rei iudicem appello, vtriuſq; noſtrûm ſcriptis collatis, facillimè deprehendet.

Neq; minorem ſanè veritati iniuriam iſtè in eo item irrogat, quòd ſubiungit, me ſine Scripturæ teſtimoniis, ſolius Eccleſiæ auctoritate aduersùs ipſum certauiſſe. Primùm enim vel ipſi margines libellorum meorum, præſertim Apologetici et Confutationis clamant, lectoriq; tantum non cæcò indicant, palpabile hoc eſſe mendacium; Deinde idipſum mendacium ſuum ipſemet teſtificatur atq; redarguit, cùm in explicatione poſtea ſuæ quintæ cauſæ diſertis verbis (licet id quoque non ſine calumnia) dicit, me Scripturæ teſtimonia, quæ pro Sanctorum inuocatione adduxi, corrupiſſe. Vt prætêream iam eos locos, quibus, vt à me ſuprà partim commemoratum eſt, fruſtra iſtum, vt probationes ex diuina Scriptura meas refelleret, prouocaui.

II. *Alte-*

II. *Alterum mendacium eſſe ait, quòd in Præfatione Confutationis Spongiæ ſcripſerim, illum magna cum leuitate aliquando victorem contra aduerſarios ſe pro concione iactitaſſe. Quod ſi falſum eſt, non mea, ſed aliena eſt culpa. Rumorem namque ea de re ad nos eſſe perlatum veriſsimè dixi; & niſi fallor, extant adhuc Ingolſtadij literæ ab homine non contemnendæ auctoritatis ex vicinis Tubingæ locis conſcriptæ, quibus id accepimus.*

Ac ſanè vt ei narrationi magis adhuc quàm inficiationi iſtius credam, præterquàm quòd in aliis pleriſque eum à vero deuiare ſolitum eſſe ſcio, illud non mediocriter mouere me poteſt, quod in hoc ipſo loco planè improbabiliter aſſeuerat, ſe neque pro concione in templo, neque diſputantem in ſchola verbum vllum prorſus de aduerſariis ſuis vnquam, nedum de victoria feciſſe. Quod quis obſecro credat? Bis, vt de aliis aduerſariis taceam, diſputationibus contra me editis, in ſchola publicè præfuit; & tamen verè affirmare ſe poſſe dicit, neque diſputando in ſchola vnquam ſuorum aduerſariorum feciſſe vllam mentionem. Si fieri poteſt, vt hoc quod verè affirmare ſe poſſe inquit, falsò affirmet, non iniuria vereor, ne illud etiam quod negat, pro concione ſe victoriam iactauiſſe, neget mendaciter.

C *Sed*

Sed neque ſatis bene & grauiter leuitatem illam excuſat, cuius ipſum in Præfatione Confutationis Spongiæ accuſaui, quòd crediderit rem incredibilem; nempe me, vbi primùm reſciuiſſem, diſputationis ipſius vnum aut alterum exemplum huc ad Lutheranos quoſdam ſtudioſos perlatum eſſe; ſub pœna excommunicationis maioris eius lectione publicè omnibus interdixiſſe, habitaq́ inquiſitione exempla omnia collegiſſe, ne quis videre poſſet. Nam aut hæreticos, aut hæreticorum effigies proprias (quibus illi, ſicut etiam iſte Herbrandus, reiectis Sanctorum imaginibus, neſcio qua deuotione iam valde ſtudioſè dant operam) comburere, principesq́ perſonas, quarum intereſt, ad meritas pœnas de hæreticis ſumendas adhortari, omnesq́ ab hæreticorum lectione librorum, tanquam à toxico quodam peſtilenti deterrere, quæ iſte à Catholicis fieri ſolita eſſe dicit, multùm ab illo munere differunt, quo me perfunctum eſſe, leuiſſimè ſicut iam recenſui, credidit; cùm neque ego is ſim, qui pœnam excommunicationis maioris decernere poſſim, neque etiam publici Inquiſitoris officio fungar, nihílque Lutherani ſtudioſi excommunicationis pœnam extimeſcant; à quibus fuiſſent, cùm illi ſoli haberent exempla diſputationis illius Herbrandinæ, colligenda.

III.

III. *Illud etiam mendaciter ait luculentum eſſe mendacium, quòd in eadem præfatione, non niſi ipſa certè rei euidentia admonitus ſcripſi, cum veritate ipſum potiùs, quàm mecũ iniuiſſe certamina. Siquidem numeraui in Spongia, vt ſuperiùs retuli, mendacia plus centũ; ſicut etiam duo & octoginta in Explicatione cauſarum. Neq; meretur iſtius mendacium vllam fidem, cùm me illud mendaciter ſcripſiſſe, non aliter quàm teſtimonium perhibens de ſe ipſo, ſuadere conatur, inquiens: Nihil neque in diſputatione, quam de Pontificiorum doctorum idololatria inſtituit, neq; in Spongia ſe ſcripſiſſe, quod non ſcripturæ teſtimoniis comprobauerit; cùm tamẽ planè per antitheſin, ipſius ſententiam ſententiæ ſcripturæ interdum eſſe contrariam ſuprà demonſtrauerim. Lector quæſo diligenter notet priora vtriuſque ſcripta atque conferat.*

IIII. *Sic magnum, inquit, & impudens eſt mendacium, quod in eadem habetur Præfatione, nullam omnino eſſe Eccleſiaſticæ doctrinæ partem, quæ Scripturis quoque non comprobetur.*] *Vbi non refert integrè ſententiam meam. Ego enim illud ſcripſi: Niſi Herbrandus ratiocinationis theologicæ, ob imperitiam, cui iam nimis diu aſſueuit, inimicus eſſet, facilè eum intellecturum, nullam eſſe omnino Eccleſiaſticæ doctrinæ partem, quæ ſcripturis quoq; à nobis non*

comprobetur.] Itaque non omnia ſignificare volui expreſſa prorſus in ſcripturis eſſe; ſed omnia certè Eccleſiæ Catholicæ dogmata, ſi ratio adhibeatur conſentanea veræ Theologiæ, haud difficulter ex ſcripturis etiam comprobari poſſe.

Fol. 12. *At, quò quæſo, inquit, ſcripturæ canonicæ teſtimonio veſtrum probabis figmētum de Poëtico & Platonico igne purgatorio?] Ego verò non figmentum poëticum, ſed fidem veriſſimam eam eſſe, quam de purgatorio igne habemus, illo*

1. Cor. 3. *ipſo Apoſtoli loco (vt alienam à propoſito controuerſiam prolixè iam non perſequar) non malè probauero, quem Auguſtinus Doctor*

Auguſt. in Pſal. 37. *Eccleſiæ eruditiſſimus, cuius corrigiam calceamenti ſoluere vniuerſa iſtorum prædicantium turba digna non eſt, ad eam rem vſurpauit. Vniuſcuiuſque opus, ait Apoſtolus, ignis probabit. Si cuius opus manſerit quod ſuperædificauit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per* IGNEM.] *Quem locum Auguſtinus tractans, Si ædificarent, inquit, aurum, argentum, lapides precioſos, de vtroque igne ſecuri eſſent, non ſolùm* DE ILLO ÆTERNO, *qui in æternum cruciaturus eſt impios, ſed etiam* DE ILLO *qui emendabit eos, qui* PER IGNEM *ſalui erunt. Dicitur enim; Ipſe autem ſaluus*

erit,

erit, ſic tamen quaſi per Ignem. Et quia dicitur, Saluus erit; contemnitur ille ignis; ita planè quamuis ſalui per ignem, grauior tamen erit ille IGNIS, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita.] *Quibus verbis an non clariſſimè Auguſtinus duplicem in altero poſt mortem ſeculo diſtinxit ignē, ſcilicet æternum, & emendatorium, ſiue purgatorium aliquorum ex his, qui ſalui ſiunt?*

Magnum verò & duplex eſſe mendacium iſtius cùm ait, Sanctorum inuocationem nullo Scripturæ ſacræ teſtimonio aut probari poſſe, aut à me probatum eſſe, vel manibus etiam tangere lector poterit, ſi relegerit quæ in Apologetico de Idololatria, & in Confutatione Spongiæ diſputaui; vt eam rem ex ſcriptura quoque comprobari oſtenderē, & non ſolùm ex verbo Dei, quatenus Eccleſiæ voce ſonat, ad quod ſolum iſte mendaciter & malitiosè, contra propriæ ſine dubio cōſcientiæ teſtimonium fingit me confugiſſe.

Fol. 12.

Apolog. fol. 38. b & ſeq. & 46. in 4. In 8. autem 202. & ſeq.

Confutat. Spong. folio 51. & 52. In 4. & 382. & ſeq. in 8.

Sed & imaginum venerationē, pro qua item ſcripturæ teſtimonium requirit, ex ſcriptura etiam conſequenter probamus hoc ipſo, quòd ex illa deducitur, Sanctis ipſis rectè ac meritò reuerentiam conuenientem exhiberi; ſiquidem vt explicaui aliâs copiosè, honor adhibitus imagini, ad prototypum ipſum ſpectat; vt prætercam modò locum item ex prima epiſtola Petri me

In Apolog. cap. 7.

In Apol. fol. 49. b in 4. & 241. in 8.

Vide etiam in Confuta. fol. 59. In 4. & 396. in 8. In Apolog. cap. 7. *adduxiſſe, vnde colligi poſſit, talem cultum imaginum, qualem Eccleſia vſurpat, minimè eſſe illicitum. In ſcriptura certè venerationem eam imaginum non eſſe prohibitam, manifeſtiſſimè docui.*

Fol. 12. *Iam verò cœlibatus, de quo iſte etiam hoc in loco quærit, ſatis ex illis locis probatur. Exi-*
1. Cor. 7. *ſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe, &c. Item: Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, &* DIVISVS EST. *Et: Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit* SANCTA *corpore & ſpiritu, &c. Porrò hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, ſed ad id quod* HONESTVM *eſt, & quod* FACVLTATEM *præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.] Legem autem cœlibatus poſt emiſſum ſponte votum, cõuenientem eſſe, ex illis probatur locis, qui ſunt*
Hebr. 13. *etiam ratiocinatione coniungendi: Obedite*
Eccleſ. 5. *Præpoſitis veſtris, &c. Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: vt iam alia multa prætermittam.*

Muti-

Mutilationem autem cœnæ Dominicæ, aut coniugij abſolutam prohibitionem, quam Herbrandus quoque commemorat, fateor à nobis neque ſcripturæ teſtimonio, neque alia ratione probari; quoniam non iſta ſtatuimus, aut defendimus, ſicut nobis aduerſarij ex inſipienti quadam malitia impònunt. Propriè enim Eccleſia ſacratis Deo perſonis non tam coniugium, quàm infidelitatem ſacrilegam prohibet, cuius eſſent rei, ſi primam fidem Deo datam, irritam contrahendo matrimonio facerent. Neque etiam Chriſtus aut inſtitutione Euchariſtiæ, aut aliàs omninò iuſſit, omnes ac ſinguli fideles cùm communicant, de calice etiam dominico participare; vti alio in loco à nobis copiosè eſt demonſtratum. Fol. 12. In tract. de de ſacrificio Miſſæ cap. 3.

Quare mendaciſſima eſt illa etiam Herbrandi calumnia, quòd ſine pudore ſcripſit, patres ipſos in Concilio Conſtantienſi conceſſiſſe, vſum communicandi ſub altera ſpecie tantùm inſtitutioni atque præcepto Chriſti repugnare. Inſtituiſſe enim Chriſtum Euchariſtiæ Sacramentum in vtraque ſpecie, quod Patres illi commemorant, non idem eſt quod præcepiſſe vt in vtraque ſpecie ab omnibus ſumeretur. Fol. 13. In Concil. Conſtant. ſeſſ. 13. & can. 4.

V. *Porrò atrocius mendacium exigua credo cum animi ſecuritate dicit eſſe, quòd ſe ſuosq;*

hæreticos nominauerim, inquiẽs, Sinas me quæſo vocabulis vti propriis, & te tuóſque hæreticos nominare, cùm ab eadem Eccleſia hæretici iudicati ac nominati ſitis, à qua Cherinthus, Ebij, Arrius & alij, quos ne tu quidem hæreticos fuſſe negabis, hæretici ſunt habiti.] *Quaſi verò in Calepino aut ſimilibus dictionariis omnino reperiri poſſit vllum vocabulum, quod magis in iſtos quadret. Quid enim iſti, vt notam hæreſis à ſe depellant, afferunt, quod non etiam vniuerſi hæretici, qui vnquam ab Eccleſia iuſtè damnati ſunt, attulerunt? Num ſcripturas ac*

Aug. epiſt. 222. ad Cõſentium.

Dei verbum? At omnes hæretici, inquit veriſſimè Auguſtinus, qui ſcripturas in auctoritate recipiunt, ipſas ſibi videntur ſectari, cùm ſuos potiùs ſectentur errores; ac per hoc non quòd eas contemnant; ſed quòd eas non intelligant, hæretici ſunt.]

Fol. 14.

Sed contendit, perinde leuiter & ridiculè, ac ſi pro pueris tãtùm ſcriberet, qui quales veterum hæreticorum errores fuerint, ignorarent, nos potiùs quàm ipſos, antiquas hæreſes ab Eccleſia olim damnatas ſectari ac defendere. Ebionæi, inquit, negabant ſufficere ad ſalutem ſolã Chriſti fidem; ſed cuſtodiendam cenſebant etiam legis obſeruantiam. Tùm ſubiungit: An non vos in veſtro conciliabulo Tridentino idem quod Ebionæi ſentiebant, decreuiſtis?] *Minimè verò*

gentium

gentium, homo ineptiſſime. Nam Ebionæi, vt teſtantur Hieronymus & Nicephorus, eatenus fidem ſolam ad ſalutem ſufficere negabant, quoniam ſimul cæremonias legis veteris cum Chriſti lege, contra doctrinam Apoſtoli, neceſſariò ſeruandas eſſe ponebant. Quod vbinam quæſo in Concilio Tridentino exigitur? Vbi ieiuniorum leges prætextu venturi paracleti Eccleſia Catholica vel indixit, vel ſeruandas eſſe ita decreuit, quaſi non antè ad Apoſtolos Spiritus ſanctus miſſus fuerit, ſed poſtea demum expectandus fuerit, quæ fuit Montani ab iſto commemorata phantaſia? Vbi legitima coniugia ſolui pro arbitrio poſſe, ſecũdùm eundem Montanum docuit?

Hier ſup. 1. Iſaiæ. Niceph. li. 3 Eccle. hiſt. cap. 13. In epiſt. præſertim ad Galat.

Iam verò Pelagianorum errores, quos iſte quoq; nos amplecti opponit, quantum ab orthodoxa doctrina in Eccleſia Catholica recepta atq; defenſa diſſideant, idcirco iſte cum ſuis non intelligit, quoniam quæ à noſtris in loco de peccato, iuſtificatione, & gratia, ac meritis diſputantur, ob imperitiam non aſſequitur. Quæ res nõ eſt modò paucis atq; obiter declaranda, cùm iſte præſertim nihil de hoc genere aut intelligat, aut probet, ſed tantùm more ſuo dicat.

Vide Euſeb. lib. 5. Eccl. hiſt. ca. 18.

Sic Tatiani et Encratitæ coniugium & carnium eſum tanquam per ſe mala damnabant; à quo errore maximè abhorret Eccleſia. Quæ

Fol. 15.

Vide Irenæum li. 1. aduerſus hereſes. *etiam inintelligibilem illā ac portentoſam Deorum multitudinem, quam Valentiniani comminiſcebantur, planè ignorat et execratur. Neque Mariam cum Colliridianis, tanquam numen adorat, quamuis ei & reliquis diuis conuenientem honorem habendum eſſe rectè doceat, vt dilutis iſtius nugis, quas hîc partim repetit, aliàs eſt à nobis copiosè expoſitum.*

Fol. 17. *Itaq; vaniſſimum cōmentum & merus verborū fumus eſt, quod iſte, credo reclamante conſcientia, ſine iudicio, ſine cognitione doctrinæ noſtræ iactat, Ebionitarum, Montaniſtarū, Encratitarum, Tatianorum, Pelagianorum, Colliridianorum nos in errore eſſe. Nec ſine magna violentia puto iſtos poſſe aperire os, vt nos de hæreſi, etiam apud ſimplices & imperitos, quos decipiunt, traducant. Sed loquuntur interdum (rarò tamen propter vim cōſcientiæ) ita, ne ſuppreſſa perpetuò inter alia aduerſus nos conuicia, hæreſis mentione ſe ſolos hæreticos agnoſcere videantur.*

Fol. 16. *Quòd aūt ait, Eccleſiæ decreta planè ſonare, carnales et immundas eſſe nuptias, calumnia eſt improba. Eſt enim in Eccleſia ſanctum honorabileq; coniugium, ac multò etiam magis quàm apud iſtos, cùm illud cōfiteamur eſſe Sacramentum: iſti ſacramentū eſſe impiè negent. Et nihilominus tamen cum Apoſtolo ſentimus, bonū atq;*
1.Cor. 7.

me-

melius eſſe mulierẽ non tangere; quòd cœlibatus, vt idem Apoſtolus ait, facultatem præbeat, ſine impedimẽto Dominum obſecrandi, qua ratione docemus cum Eccleſiaſticorum ſtatu magis cõgruere: Nec ſi Patres olim in Conc. Niceno legẽ cœlibatus non ſanciuerunt, (vt fidem iam illius hiſtoriæ, quæ de cõſilio Paphnutij eſt, in dubium non vocem) idcirco eam tãquam omni tempore iniquã damnârunt, vt iſte perperã ratiocinatur. Fol. 17.

Iam verò nullo argumento luculentiùs iſte probare poteſt, ſe ſuosq; ex hæreticorũ grege eſſe, ac proinde iure hæreticos nominari, quàm cùm inquit, minimè ſe ideo hæreticos eſſe, quoniam Fol. 18. *Romani Pontificis ducatum fugiant; Nam eum ſe non Chriſti Vicarium, ſed Antichriſtum eſſe cenſere. Quæ vox eſt impia eorum omnium, qui ab ouili Chriſti, cui Petrum eiúſque ſucceſſores præfecit, aberrant; vt Gregorius Magnus in eo ipſo loco, quem iſte cõtra primatum Romani pontificis allegat, diſertis verbis tum ex Euangelio, tum auctoritate Conc. Chalcedonenſis confirmat. Non enim vt iſti iactitant, vel nomen ipſum, vel officium vniuerſalis Epiſcopi antichriſtianum ille, quod ad rem quidem attinet, eſſe cenſet; (cùm apertè etiam commemoret, eum titulum à Chalcedonenſi Synodo Pontifici Romano vltrò delatum eſſe) ſed vanitatem in arroganda ſibi glorioſè, & iactanda ea voce,*

Matth 16. Ioan. 21. In epiſto. ad Mauriciũ Imperat. cõtra Ioann. Epiſcopum Conſtantinopoli, quæ habetur lib. 4. epiſto. ex Regiſtro, cap. 76.

voce, inprimisq́ temeritatẽ in vſurpando ſchiſmaticè officio paſtoris vniuerſalis & primi, redarguit in illo loco Gregorius.

Vide Sanderum in Monarchia. *Et eſt à noſtris non ſemel refutata dementia iſtorum, quòd Antichriſtum miſeri atq́ infeliciſſimi homines appellent eum, quem, quod ad officij quidem auctoritatem attinet, quibuſcunque tandem præditus ſit priuatis moribus,* CHRISTI *loco habere atq́ venerari debent. Itaque fruſtra rebellionem ſuam iſte atq́ hæreſim excuſare conatur, commemorandis aliquibus ſcriptoribus etiam ex noſtris, qui in mores olim Romanæ vrbis aut Pontificum aliquorum ſunt acriùs inuecti.* Fol. 19. *Non enim ſecundùm opera eorum, quando à ratione deuiant, facere, ſed auctoritatem officij intueri, adeoq́ in iis quæ ad commune Eccleſiæ bonum rectè (ſecundùm promiſſiones ipſi Eccleſiæ factas) conſtituunt, dicto audientes eſſe atque obtemperare iuſſi ſumus.*

Fol. 18. *Neque ad auctoritatem Romanorum Pontificum tuendam ſolius loci ac perſonarum ſucceſſionem, ſicut iſte cum ſuis nugatur, nos vrgemus; ſed inprimis etiam ſucceſſionem ſiue conſeruationẽ veræ doctrinæ, cuius infallibile magiſterium Chriſtus ad Petri & ſucceſſorum eius cathedram, quibus Eccleſiæ gregem paſcendum, veraq́ doctrina confirmandum commiſit, alligauit.* Ioan. vltim. Luc. 22.

gauit. Quorum proinde prærogatiua maior longè eſt quàm fuit Annæ & Caiphæ, aliorumq́ Pontificum Iudæorum, qui nefariè Chriſtum & Apoſtolos reiecerunt. Quocirca qui poſt Eccleſiam à Chriſto & Apoſtolis conſtitutam Petri & ſucceſſorum eius auctoritatem contemnunt, ab eorumq́ ouili ſe ſegregant, minimè illi quidem (vt iſte nugatur) cauſam agunt ſimilem cauſæ Chriſti & Apoſtolorum; (non enim expectandi ſunt iam Chriſtus & Apoſtoli, ſicut expectandi & recipiendi fuerunt tempore Annæ & Caiphæ) ſed ex eorum numero planè ſunt, quos Apoſtoli prædixerunt, in nouiſſimis temporibus diſceſſuros à fide, illuſores, ſecũdùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus, ſegregantes ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes &c. Sed de primatu Romani Pontificis hoc loco non ſunt dicenda plura. 1. Tim. 4. & ep. Iudæ.

VI. *Mendacium præterea eſſe queritur, quòd ſcripſerim eum peſſima fide citauiſſe locũ, vbi Samuel dicat, peccatũ idololatriæ eſſe nolle acquieſcere. Non enim, inquam, peccatum idololatriæ, ſed* QVASI *peccatum idololatriæ eſſe eiuſmodi inobedientiam pronunciauit. Summa autem totius expoſtulationis iſtius eſt, quòd particula* QVASI *non reſpondeat Hebraicæ orationi; iuxta illã namq́ ſimpliciter dici, mendacium eſſe et idololatriam tranſgredi, ſeu nolle acquieſcere.* 1. Reg. 15. Vide in cõfut. ſpong. fol. 15. in 4. & 314. in 8.

Sed ſi tantum de phraſi & proprietate linguæ Hebraicæ cognouiſſet Herbrandus, quantum ſe in eo genere, leuiſſimè mihi inſultans, iactat, animaduertiſſet, rectè vulgatum interpretem QVASI *ſcelus idololatriæ de Hebraico potuiſſe vertere. Vbi enim Hebraicè legimus* וּתְרָפִים, *id eſt, et idolum, ſiue, & idololatriã, Coniunctio illa* ו *tantundem nobis ſignificare poteſt, quantũ particula* כְּ *id eſt, ſicut, vel quaſi. Habet enim & hunc in aliis etiam locis vſum illa Coniunctio. Vnde et Chaldæus paraphraſtes in verſione illius loci ex Hebraico, comparatiuo etiam aduerbio vſus eſt.*

Quin etiam ſententia ipſa verbis Hebraicis ſubiecta meritò vulgatum interpretem mouere potuit, vt ad ſenſum ſpectans, nõ idololatriam abſolutè, ſed QVASI *ſcelus idololatriæ eſſe diceret, præceptum tranſgredi vel non acquieſcere.* Fol. 15. in 4 & 314. in 8 *Nam vt in confutatione ſpongiæ argumentatus ſum, coarguit illic propriè Samuel inobedientiam Saulis, quæ aut latiùs patet quàm idololatria, ſi pro communi quadam cõditione peccatorum omnium, quatenus repugnãt præcepto, accipiatur, aut omnino tanquã alia peccati ſpecies ab idololatria diſtinguitur, ſi, vt eſt definitum quoddam peccatum, cõſideretur. Itaq; certum eſt, inobedientiam illam Saulis, quam in præpoſtero illo ſacrificio vero Deo exhibito admi-*

miſit, propriè non fuiſſe idololatriam (vt Herbrandus commentus eſt) ſed quaſi idololatriam, vt rectiſſimè vertit interpres, etiamſi alioquin Hebraica phraſis particulam Qvasi *addi poſſe, nullo modo indicaſſet.*

Quæ ſi lector diligenter perpendat, nō poterit non valde irridere vanitatem Herbrandinam, quòd tam multis verbis ac nugis homo futilis mihi hoc loco ſine ratione inſultauerit, ac de Hebraico garriuerit; cùm interim tamen probationem illam meam ex differentia inobedientiæ & idololatriæ propriè dictæ, vnde conÿci peccatum illud Saulis non fuiſſe propriè, ſed metaphoricè idololatriam, ſilentio prorſus præteriuerit; quoniam eam videlicet homo ad intelligendum valde tardus, ſicut pleraque alia quorum partim ſuprà mentionem feci, non eſt aſſecutus.

VII. *Illud item mendacium eſſe inquit, quòd ſcripſerim, teſtimonio etiam ipſius, Eccleſiam Catholicam eſſe infallibilem fidei regulam. Atque vt hoc ſe non ſignificauiſſe perſuadeat, artificio quodam haud dubiè ipſi noto inuertit verba, quæ priùs ſcripſerat, neque ea ſimul, eodemque modo quo antè poſuerat, recitat. Sic enim priùs ſcripſerat: In omni diſputatione, quacunque de materia ſuſcipiatur, certa quædam & infallibilia probationum principia, quæ ſint certa, infallibiles*

In diſput. 1. de idololat. concluſ. 4.

les & immotæ regulæ atque κριτήρια, ad quæ omnia ſunt examinanda, conſtitui neceſſe eſt, cuiuſmodi eſt in Theologia ſincera, & vera CHRISTI *Eccleſia in terris, ſacra Scriptura, quæ ideo Canonica dicitur, quòd ſit norma & regula infallibilis omnium dogmatum & cultuum.*]

Quibus in verbis ſi quis attendat illum non ſingulariter dixiſſe, in omni diſputatione certum aut infallibile aliquod eſſe principium ſiue regulam, ſed communiter certa & infallibilia principia, ſiue certas infallibilesq́; regulas eſſe debere, eundem planè ſenſum, quem ego antè, ex ipſo verborum contextu colliget; nimirum in Theologia proinde ſeu in Theologica diſputatione certa illa principia atq; infallibiles regulas eſſe, tum ſinceram & veram CHRISTI *Eccleſiam in terris, tum ſacram Scripturam, quæ ideo etiam Canonica dicatur, quoniam ſit norma & regula infallibilis omnium dogmatum. Iſte autem modò non hunc, ſed alium fuiſſe ſuorum verborum ſenſum interpretatur; videlicet & in ſincera Theologia, & in vera Chriſti Eccleſia normam & regulam veritatis eſſe Scripturam.*
Fol. 26. *Hoc enim ſignificare vult, quando diſſimulans qualis fuerit prioris ſuæ orationis contextus, inquit, ſe ne veram quidẽ* CHRISTI *Eccleſiam, quam eandem Catholicam eſſe cõfitetur, dixiſſe eſſe,*

eſſe fidei regulam. Sed vt in ſincera, inquit, Theologia, ita & in vera CHRISTI *Eccleſia Scripturam eſſe normam & regulam.*

Vtut ſit, certum eſt, & me probabilem rationem habuiſſe, vt ex prioribus illis verbis iſtius colligerē, eius etiam confeſſione Eccleſiam Chriſti veram (quæ eadem eſt Catholica) infallibilem eſſe fidei regulam, & iſtum, quòd iam propalam & abſolutè negat, non tantùm ſe ita dixiſſe, verùm etiam id ita eſſe, Scripturæ ſacræ, quam ille vnicam alioqui relinquit veritatis normam, hæreticè repugnare. Si enim Eccleſia CHRISTI *vera falli & fallere nos poteſt, quomodo eſt columna & firmamentum veritatis? quomodo Spiritus ſanctus omnem veritatem eam docet? quomodo nos* CHRISTVS *obligat, vt ipſam in controuerſiis maximè, quæ de fide, atque adeò de Scripturæ ſacræ ſententia oriuntur, fidenter audiamus? Et cuius ſententia atq; iudicio certò tunc nobis conſtabit, quorum ſint doctrinæ tanquam erroneæ atq; hæreticæ vitandæ?* Fol. 26. 1. Ad Timot. 3.

Sed prolixum eſſet quouis loco omnia, quæ iſtis in omni diſputatione excidunt, errorum commenta perſequi, & dabitur, ſi DEVS *voluerit, aliâs occaſio, de vera Eccleſia, eiusq; auctoritate ex inſtituto diſputandi, oſtendendiq; miſeros iſtos ab Eccleſia* CHRISTI *vera & Ca-*

Fol. 24. *tholica, quantumuis ſymbolum Apoſtolorum et Athanaſij vtraq; manu, vt iſte iam ait, cõplecti ſe dicat, eſſe alieniſſimos. Tenent enim quidem ad maiorem ipſorum condemnationem, ſymbolum fidei manu, et oculis inſpiciũt, ſed corde perfidia obuelato neq; intelligũt neq; credunt; quia veram Eccleſiam, quam in ſymbolo confiteri eſt neceſſe, minimè agnoſcunt.*

II.

SECVNDAM *cauſam, cur mecũ amplius diſputare nolit, eã eſſe dicit, quòd principium in Theologia firmum atq; immotum negem; ſcilicet nõ eſſe abſq; diuini verbi auctoritate et præcepto cultus in Eccleſia inſtituendos. Sed perſpicuis rationibus & ſcripturæ ſacræ teſtimoniis antea conuici, id cõmentum non Theologiæ principium immotum, ſed euanidum errorem ignorantium hominũ cum ratione veræ Theologiæ pugnantem eſſe: explicatis iis ſcripturæ locis, quibus cultus ita voluntarij, vt pugnent etiam cum diuina lege, damnantur. Quo etiã ſenſu Magnus Baſilius interpretatur illud* CHRISTI *teſtimonium, quo iſte cum ſuis hoc loco abutitur: Fruſtra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.*]

Vide Apologeticũ pagina 16. & ſequẽti in 4 & 122. in 8. & confutat. ſpong. fol. 22. in 4. & 327. in 8.

In moralib. ſumma 12. cap. 2.

Matth. 15.

Fol. 29. *Sed recitat Herbrandus ex Baſilio ſententiã, qua is affirmet, quidquid ſecundùm propriam volun-*

voluntatem eligitur, alienum eſſe à piis. Neque tamẽ diſtinctè aſſignat locum, in quo Baſilius id ſcripſerit. In libro certè quæſtionum cõpendio à Baſilio explicatarũ, quem Herbrandus ſine annotatione quæſtionis in margine notat, abalienatũ eſſe oportere à propriis voluntatibus docet; Ad imitationem, inquit, ipſius Domini dicentis: Deſcendi de cœlo, non vt faciã voluntatem meã, ſed voluntatẽ eius qui miſit me Patris. Itemq́ in moralib. confirmat, non oportere voluntatẽ propriam approbare PRAETER VOLVNTATEM *DEI.*] *Verùm hiſce ſentẽtiis nihil ille minùs docere voluit, quàm illicita eſſe, quæ ſine Dei expreſſo mandato ſuſcipiuntur. Imò in eo loco quẽ paulò antè citaui, manifeſtè ſignificat, multa licere, quæ neq; mãdato Dei iubentur, neq; in ſcriptura ſacra cõmemorãtur; tametſi non omnia, quæ ſunt eiuſmodi, ſemp̃ expediant, vt ibidẽ ex Apoſtolo docet.*

In reſpõ. ad quæſt. 1. Ioan. 6. Summa 12. cap. 4. In reſponſ. ad quæſt. illam 1.

Quid ergo illud eſt, quod in voluntate propria Baſilius non probat? Videlicet aut illam, quatenus cum voluntate Dei pugnat, omnino damnat, vt in illis quos ex Apoſtolo commemorat, verſatos eſſe aliquando in concupiſcentiis carnis ſuæ, facientes VOLVNTATEM *carnis & cogitationum ſuarum: vel certè minùs laudabile eſſe ſignificat id, quod voluntate propria geritur, tametſi alioquin liceat, quàm quod obedienter ſuſcipitur ex voluntate aliena. Poteſt*

1. Cor. 10. In moral. ſumma 12. ca. 4. ex cap. 2. ad Epheſ.

autem ita aliquid ſuſcipi, licet per ſe non ſit diuino mandato præſcriptum. Nam & maioribus cùm obedimus, veriſſimè damus operã obedientiæ, adeoq́; rem facimus diuinæ voluntati placitam; quippe cùm illis etiam obedire diuinitùs iuſſi ſimus.

Quod autem ad argumenta mea attinet, quæ inter cætera, vt cultum voluntarium defenderẽ, ex ſpontanea conſuetudine vouendi in Scripturis commendata, atq; etiam ex voluntario iuramẽto Dauidis duxi; quàm infeliciter ea iſte hoc loco explicare conatus ſit, ſuperiùs, cùm ipſius recenſui paradoxa, ſatis apertè demonſtraui. Et fruſtra nobis obiicit, CHRISTVM *etiã ex diuinæ ſcripturæ teſtimoniis argumẽtari fuiſſe ſolitum. Aliud enim eſt ſcripturæ teſtimonia vrgere, ex iisq́; probationem ducere, quod ipſi etiam & facimus, & faciendum eſſe omnino exiſtimamus: aliud, vt cultũ aut officium aliquod probes, Dei mandatum requirere; quòd* CHRISTVS *nunquam fecit. Nam quod ait: Fruſtra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum, iam aliâs ſæpe oſtendi, non quemuis voluntariũ cultum ea Chriſti ſententia damnari, ſed eum, qui iuxta ſcripturæ phraſin, quàm in aliis quoq; ſcripturæ locis iſti indicaui, ita voluntarius citra præceptũ Dei eſt ac dicitur, vt pugnet etiam cum diuina lege; ſicut patet ex illis Chriſti verbis, ab iſto*

In cauſa 4. vera.

Vide Apolog. fol. 18. in 4. & 130. & 131. in 8. & confutat. ſpõg. fol. 32 & 33. in 4. & 346. & 347. in 8.

iſto hic imprudenter citatis. Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram. Ad quæ iſte nunquam reſpondit. Matth. 15.

Illa verò inſignis eſt fraus, quòd Tertulliani teſtimonium quoddam ita citat, ac ſi ille abſolutè ſenſerit, ſemper & in omni materia licere concludere, aliquid non eſſe, aut non factum eſſe, &c. ſi Scriptura ſacra illud expreſſè non commemoret; Cùm tamen tantùm ille contra Hermogenem diſputet, DEVM non ex aliqua æterna materia per ſe ſubſiſtente feciſſe omnia, quia in eo loco, vbi circumſtantiæ hiſtoriæ poſtulabant, vt eius rei, ſi ita ſeſe habet, mentio etiam fieret, nihil tale Scriptura memorat. Hæc enim ſunt Tertulliani verba: Euangelium, inquit, vt ſupplementum inſtrumenti veteris adhibebo; in quo vel eò magis debuerat oſtendi Deus ex aliqua materia vniuerſa feciſſe, quo illic etiam per quem omnia fecerit, reuelatur. In principio erat ſermo, in quo principio ſcilicet DEVS fecit cœlum & terram; & ſermo erat apud Deum, & Deus erat ſermo. Omnia per illum facta ſunt, & ſine illo factum eſt nihil. Cùm igitur, inquit, hìc manifeſtetur & factor, id eſt, DEVS; & facta, id eſt, omnia; & per quem, id eſt, ſermo; nonne & VNDE omnia facta eſſent à DEO per ſermonem, exegiſſet ORDO profiteri, ſi ex aliquo facta eſſent?]

Fol. 34.

In lib. vnico aduer. Hermog. circa med.

Ioan. 1.

Tum ſubiungit atq; ad ſpecialem hanc controuerſiam cum Hermogene accommodat illud quod Herbrandus, antecedentibus & ſequentibus hæreticorum more ſuppreſſis, quaſi vniuersè à Tertulliano pronunciatum, recitauit: Ita, inquit, quod nõ fuit, non potuit ſcriptura profiteri; & non profitendo, ſatis probauit non fuiſſe, quia profiteretur ſi fuiſſet.] Quam ſentẽtiam ſeu argumentationem tantum abeſt vt Tertullianus ad omne genus cauſæ accommodari poſſe voluerit, vt etiam in ſequentibus diſertè moneat, eam non ſtatim & ex æquo (vtor ipſius verbis) admitti poſſe, vbi diuerſitas cauſæ eſt.]

Sic quod paulò poſt idem inquit: Adoro Scripturæ plenitudinem, quæ mihi & factorem manifeſtat & facta: In Euangelio verò ampliùs & miniſtrum, atque adeò rectoris inuenio ſermonem. An autem ex aliqua ſubiacente materia facta ſint omnia, nuſquã adhuc legi. Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina: Si non eſt ſcriptum, timeat væ illud adiicientibus aut detrahentibus deſtinatum.] Hanc, inquam, ſententiam totam (quam non niſi truncatam recitauit etiam Herbrandus) ad eandem illam controuerſiam, quæ ipſi erat cum Hermogene, retulit; atque adeò in eo genere, de quo quæſtio erat, ſcilicet quod ad hiſtoriam effectionis rerum attinet, inquit ſe adorare Scripturæ plenitudi-

tudinem &c. propter hiſtoriæ circumſtantias ſupra memoratas.

Ad extremum, quod obiicit, Auguſtinum aliquando ab aduerſario poſtulauiſſe, vt ex Scriptura ſacra argumenta depromeret; hoc iam antea in præfatione confutationis Spongiæ expoſui, meritò ab ipſo pro diſputationis opportunitate, & conditione ſubiectæ materiæ potuiſſe fieri; neque idcirco illum vnquam putauiſſe, à probatione ex Scripturis ducta, rationem, veræ Theologiæ conſentaneam, abeſſe debere. Atque etiam ex Auguſtino ipſe quoque loca citaui, quibus ille contra aduerſarios ſuos, non Scripturæ tantùm, ſed Patrum item auctoritate certat. Fol. 35.

Quòd autem Epiphanius quærit, quis Prophetarum præceperit hominem adorari, non ſignificat cultum aliquem hoc ipſo illicitum eſſe, quòd mandato diuino præſcriptus non eſt, ſed ſi adeò non ſit præceptus, vt etiam pugnet cum diuino præcepto. Nam & antea in Apologetico, & in Confutatione Spongiæ docui, non tantùm familiarem loquendi cõſuetudinem obtinuiſſe, verumetiã in ſcriptura (cuius phraſi Patres libẽter vtuntur) eſſe vſitatum, vt ad ſignificandum rem aliquã diuino præcepto aduerſari, dicatur eam minimè eſſe mandatam aliquo præcepto. Vt in Deutero: Cùm reperti fuerint apud te, inquit, In Apolog. fol. 18. b. in 4. & 130. & 131. in 8. & in confutat. fol. 32. et 33 in 4. & 346 & 347. in 8. Cap. 17.

 vir

vir aut mulier qui faciant malum in conſpectu Domini Dei tui, & tranſgrediantur pactum illius, vt vadant & ſeruiant Diis alienis, & adorent Solem, & Lunam, & omnem militiam cœli, QVAE NON PRAECEPI.] *Item: Propheta autẽ qui arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo quæ ego* NON PRAECEPI *illi vt diceret &c.*] *Quæ loca cùm in Confutatione ſpongiæ produxiſſem, En Herbrande, inquam, vt alia priùs à me citata nunc prætercam, non præceptum his locis illud dicitur, quod fuit etiam diuinitus prohibitum; In quem modum, inquam, teſtimonia Chriſti & Pauli quædam intelligere debes etc.*] *Sed obmutuit ſemper vir bonus ad hæc, ſicut ad alia pleraq;, quoniam ſenſit ſe refutare nullo modo poſſe.*

Deut. 18.

Loco paulò antè citato.

III.

BLASPHEMIAE *atque hæreſis porrò perquàm ridiculè ſanè me accuſat, quòd ipſorum cœnã, quæ nihil aliud quàm nefandum ſacrilegium eſt; non Dominicam, ſed diabolicam quodam in loco confutationis ſpongiæ nominauerim. Adeò enim iſti errore faſcinati ſunt, vt non videant miſeri, quemadmodum hac ratione ex eorum numero ſe eſſe oſtendant, qui dicunt malum bonum, & bonum malum. Etenim ſacram actionem Miſſæ,*

In defenſione 1. cap. Apologet.

quæ bene ac religioſè, vt alibi Scriptura ſacra, & totius Eccleſiæ conſenſu probamus, inſtituitur, abominationem horrendam ſine conſcientiæ ſcrupulo, per ſummum ſcelus vocant; neque quidquam minùs, quàm blaſphemiam aut hæreſim eſſe ducunt nefariam hanc contumeliam. Temerarium aut-em & ſacrilegum conatum, quo fruſtra prædicantes iſti, ſi ſint laici, Euchariſtiam ſacram conficere tentant, vel etiam impium impuriſſimumq́ue, ob crimen hæreſis, eiuſdem vſum, (ſi quis fortè eiuſmodi miniſtrorum presbyter apoſtata ſit, qui verè Chriſti corpus & ſanguinem conficiat) non diabolicum, ſed Dominicum haberi omnino volunt. Ego verò, quicquid iſte cœlum & terram appellans exclamet, & rūpatur, non dubitabo hanc cœnæ actionem, quam ex hæretico more cum ſuis celebrat, Diabolicam & Satanicam toties quoties ipſe audire voluerit, & ſæpius etiam appellare: neq́ue quidquam verebor minùs, quàm vt ne ideo in aliquo concilio pontificio (quod iſte periucundè ſcripſit mihi timendum eſſe) anathemate feriar. Fol. 37.
Quòd enim exclamat, vocem hanc meã à nullo vnquam hæretico damnato eſſe exauditam, omnino nihil moror; non enim teſtimonium ab hæretico perhiberi meæ voci volo; ſatis mihi eſt eam à Catholico viro certè non poſſe non approbari. Fol. 36.

At ſi maximè nos, inquit, & extra Eccleſiã, & hæretici eſſemus: an non nihilominus vera eſſent ſacramenta, quæ tractamus, [CHRISTI *obſeruata inſtitutione?*] *Reſp. Primùm plerique prædicantium non ſunt hæretici tantùm, ſed hæretici & laici; quo fit, vt ne ſacramentum quidem Euchariſtiæ verum ſecundùm Chriſti inſtitutionem conficiant; quia, vt aliàs latiùs à nobis probatur, non ſunt ex numero legitimorũ miniſtrorum Eccleſiæ, quibus* CHRISTVS *eam poteſtatem dedit inquiens; Hoc facite in meam commemorationem. Nec eadem ratio ſacramenti baptiſmi, quod iſte hîc commemorat, eſt; cùm illud poſſit etiam conferri à laicis. Deinde ſi maximè verum Euchariſtiæ ſacramentum ab aliquo ex apoſtatis noſtris legitimè in Eccleſia priùs ordinato, interdum habeant; adeò illis tamen, (vt ex Auguſtino iſte citat) nihil prodeſt, vt eius vſus, quem vocabulum Cœna propriè ſignificat, planè ſit iſtis propter eorum, vt antè notaui, indignitatem pernicioſiſſimus, adeóque non minùs quàm proditori Iudæ diabolicus, in quem poſt buccellam intrauit Satanas.*

In tractat. de ſacrificio cap. 2.

Luc. 22.

Fol. 37.

IIII.

In explicat. cauſ. fol. 40.

PRAETEXIT *etiam, ſe propter abſurda quæ defendam, de religione (ita enim inquit)*

inquit) diſputare mecum ampliùs non poſſe. Atque vt me abſurdè ſentire probet, non niſi duas ſententias ex meis refert, quæ tantum abeſt vt ſint abſurdæ, vt etiam abſurdum atque hæreticum ſit, illis non aſſentiri. Prima eſt, quòd verbum diuinum dixerim non tantùm ſcripturæ literis conſignatum eſſe, verùm etiam Eccleſiæ voce ſonare. Quod an non obſecro eſt certiſſimum? Si DEVS *tunc maximè auditur, quando vox auditur Eccleſiæ, nónne tunc Dei verbum Eccleſiæ voce ſonat? Certè niſi quod ſonat, non auditur. Et illuſtris illa ſententia eſt apud Iſaiam: Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus; Spiritus meus qui eſt in te,* ET VERBA MEA QVAE POSVI IN ORE TVO *non recedent de* ORE *tuo, & de* ORE *ſeminis tui, & de* ORE *ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodò & vſque in ſempiternum.] Quibus verbis an non clariſſimè Deus ipſe teſtificatus eſt illud idem, quod Herbrando videtur abſurdum, ſcilicet, diuinum verbum non tantùm ſcriptis literis contineri, verùm etiam in Eccleſiæ* ORE *eſſe poſitum, ibique proinde ſonare.*

Lucæ 10.

Iſai 59.

Quid autem habuit iſte miſer, quod huic ſententiæ opponeret? Nihil omnino præter verba & nugas adeò leues & ſpurcas, vt non dubitem, quin ipſum etiam, niſi planè brutum animal

Fol. 39.

malſit, plurimùm pudeat ſui ipſius, cùm ea, quæ hoc loco fœdiſſimè ſcripſit, relegit; vt interim taceam mendacium illud, quo refert affirmauiſſe me, ſcripturæ interpretationem ab Eccleſia factam, Fol. 39. *parē ipſi Scripturæ ſacræ eſſe. Nihil enim vnquam neque in confutatione ſpongiæ, neque aliàs de ea quæſtione definiui, quæ eſt de comparatione auctoritatis Scripturæ & Eccleſiæ. Quin etiam ad id mendacium blaſphemiam addidit, cùm ſubſannat illam ſententiam, Vbi eſt maioritas, illic eſt præcipiendi poteſtas, cæteros manet obediendi neceſſitas,] quæ eſt veriſſima, & ab Apoſtolo confirmata, cùm inquit,* NECESSITATI IGITVR SVBDITI ESTOTE. Rom. 13.

Fol. 42. *Altera ſententia, quam exiſtimat abſurdam eſt, Eccleſiam ſcripturæ interpretem eſſe, eamq; audiendam; quæ tamen non mea ſed* CHRISTI *ſententia eſt, vbi eum qui Eccleſiam non audierit, iubet haberi pro Ethnico & Publicano.* Matth. 18. *Itemq; Apoſtoli, qui Eccleſiam vocat columnam & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3.

Sed ſubiungit, hoc ſe præcipuè improbare, quòd eius Eccleſiæ nomine, quam audiendam eſſe diximus, Romanam Eccleſiam intelligamus. Quod num à nobis rectè fiat, ex illa quæſtione pendet, Sitne vera CHRISTI *Eccleſia is cœtus hominum, qui Romano Pontifici, tanquam Chriſti in terris vicario paret: ſicut eſſe*

prorſus

prorſus tum à multis Catholicis auctoribus probatum eſt, tum nos fortaßis, ſi Dei voluntas fuerit, aliquando demonſtrabimus. Itaque non eſt neceſſe modò ea dere obiter diſſerere; cùm iſte præſertim nihil afferat. Nam quod de myſticis quorundam locorum ſcripturæ interpretationibus, quibus duo luminaria magna, ſol videlicet & luna, pontificiam atque imperatoriam poteſtatem, & duo item gladij poteſtatem ſpiritualem & ſecularem ſignificare ponantur, leuiculum prorſus eſt. Quid enim hæc valent ad oſtendendum, Romanum pontificem, quando fidei controuerſias & quæſtiones de ſcripturæ ſenſu cum auctoritate determinat, errare poſſe?

Ad Cuſani verò ſententias de ratione ſcripturam interpretandi quod attinet, non ſunt illæ apud nos canonizatæ, vt tam confidenter iſte, quaſi doctrinam totius Eccleſiæ, referre ipſas debuerit. Quanquam verum eſt illud, quod inter cætera ex ipſo commemorat, ſcripturas non eſſe de eſſentia Eccleſiæ: cùm conſtet ſine ſcripturis aliquando veram Dei Eccleſiam extitiſſe: ſicut & alia quoque quæ auctor ille dicit, ſi non malignè iſtorum more legantur, commodum ſenſum, conſideratis antecedentibus & ſequentibus admittere poſſunt. Sed ego iam loquendi modum Cuſani prolixè defendere non neceſſe habeo. Fol 43.

V.

V.

QVAE quinto loco pro excuſatione ſua, cur nolit amplius diſputare, attulit, omnino ſunt eiuſmodi, vt per ſe ſine refutatione noua euaneſcant, vel potius vaniſſima tantum eſſe verba, ex his, quæ copioſè aliâs contra iſtum diſſerui, facillimè intelligatur. Summa enim eſt, ipſum ideo mecum diſputare amplius non velle, quoniam defendam idololatriam in Sãctorum innocatione, Euchariſtia, imaginum, reliquiarũ cultu, &c. Quæ cum ante controuerſiam hanc etiam, non minus, ſed vt ſuſpicor, magis confidenter quàm modò (fortaſſis enim aliquid didicit) idololatriam eſſe iactaret; ſi propterea, quoniam iſta defendo, diſputandum ſibi mecum eſſe non putat, ab initio etiam eadem de cauſa detrectare mecum inire certamen debuiſſet. Valde enim ſimplex fuit, ſi ſperauit fore, vt ſuis apud me nugis quidquam proficeret.

Lector expendat quæ tũ in Apologetico, tum in Confutatione Spõgiæ, vt eos Eccleſiæ cultus ab iſtius calumniis vindicaremus, explicauimus; ac tum demum iudicet, vtrinam potius, ſicut Iannes & Mambres, reſiſtamus veritati: noſne, vt
Fol. 44. *Herbrãdus hic valdè languidè ſine vlla ꝓbatione, ꝑter inania verba, dicit: an verò prædicantes iſti miſerrimi, vt initio Confutationis Spõgiæ ipſos facere affirmaui? Nam quòd Franciſcum*

&

& Claram nos tanquam ſaluatores nouos venerari dicit, minimè noua calumnia eſt; quæ idcirco noua explicatione non indiget. Iam enim aliâs rationem explicaui, quam in inuocatione & cultu Sanctorũ tenemus; quibuſcunq; verbis tandem precatiunculæ aliquæ compoſitæ reperiantur. Itemq; oſtendi, quemadmodum iſte nõ aliter interpretationem noſtram oppugnare potuiſſet, quam repetendo ineptiſſimè eaſdem vel ſimiles precatiunculas, in quas omnes noſtra explicatio æquè quadrat; ſcilicet cùm Sancto dicitur, Fac hoc aut concede, ſenſum eſſe, effice precibus & interceſſione apud Deũ tua; vt iam alia, quæ ſunt à me ea de re diſputata, non repetam. Ex quibus facillimè quoque expeditur, quod de Franciſco & Clara iſte dicit ſe in ſpongia obieciſſe; quanquam neque ille locum ſpongiæ citat, neque ego iam in ſpongia eum, bonam partem temporis conterendo, inuenire potui.

In Apol. ca. 6. & in confutat. ſpong. in defenſione eiuſdem 6. cap.

Præterea breuitatis cauſa conuicia iſtius præſertim in Societatem noſtrã; eam ſcilicet in hac mundi ætate poſtrema à Satana, tanquã eius poſtremum conatũ excitatã eſſe &c. Quod ego ob eam etiam cauſam perſuadere mihi non poſſum, quoniam certiſſimè perſuaſus ſum, iſtos potiùs, quos tanquam veræ religionis hoſtes Societas noſtra ex inſtituto oppugnat, incitari à Satana. Nam ſi Satanas Satanã eiicit, quomodo ſtabit regnum eius?

Illud

Illud autem mendacium iſtius luculentiſſimum quod cum reliquis aliâs indicaui, eò diligentiùs hîc à lectore animaduerti volo, quò clariùs ſuis ipſe verbis hoc in loco in meam illud gratiam confutat. Affirmat enim ſæpius, Hiſpanum (quod ego nomen ab iſto toties repetitum vt minimè in Germania illibenter audiam, bonitas etiam Germanicæ nationis, quam ego certè diligo, facit) ſolius Eccleſiæ authoritate, non autem Scripturæ ſacræ teſtimoniis ſua probare; cùm tamen hîc, vt ſuprà etiam monui, calumnietur, teſtimonia Scripturæ ſacræ, quæ pro inuocatione ſanctorum & reliqua doctrina adduxerim, me corrupiſſe.

In explicatione cauſarum fol. 46.

In Refutat. primę cauſę.

Poſtremò quòd ait ſe cupiuiſſe vt ipſius etiam contra me libelli hîc item Ingolſtadij excuderentur; ipſe primus ad eam rem diligentiam atque operam meam præſtabo, ſi Facultatis Theologicæ in hac Academia Decanus ſua illos cenſura approbauerit. Alioqui nouit credo Herbrandus, Ingolſtadienſibus Typographis non licere libros ſine cenſura prælo committere. Quòd ſi neque Tubingæ commoditas Typographiæ eſt, neque hîc propter ſeueritatem cenſuræ negotium expediri queat, non impedio quò minùs curet Herbrandus id fieri VVittenbergæ, aut vbi magis ei placuerit.

VI.

NEGAT *etiam non ſine manifeſta iniuria veritatis, me in Spongiæ confutatione aliquid attuliſſe noui. Nam vt de cæteris taceam, omnia certè argumenta, quibus definitionem idololatriæ ab iſto aſſignatam, in defenſione ſecundi capitis apologetici noſtri oppugnaui, noua fuerunt. Ad quæ miſer homo prorſus, vt ſupra notaui, obmutuit, quoniam ea diluere planè fuit ipſi impoſſibile; præſertim verò illam rationem, qua euidentiſſimè demõſtraui, inſipienter iſtum in definitione ſua loco differentiæ idololatriæ poſuiſſe, quòd ſit præter verbi Dei rationem; cum hæc ratio communiter in omnia peccatorum genera cõueniat, vt ex Apoſtolo Ioanne in ſua prima canonica confirmaui.*

Neque magis verum eſt illud quod hîc iſte ſcribit, me plurima Scripturæ ſacræ teſtimonia & argumenta, quæ obiecíſſet, prætériuiſſe. Non modò enim non plurima, ſed ne vllum quidem, aut teſtimonium, aut argumentum indicare potuit, de quo nõ quantum ſatis erat, ad eius vel ignorantias, vel fraudes, vel corruptelas redarguendas ſuo loco vel in confutatione, vel in apologetico dixerim. Nam quod de ſanctis Franciſco & Clara repetit, de eo iam à me ſuprà eſt dictum. Et quod de Scholaſticorum quorũdam Fol. 48.

 quæ-

quæſtiunculis ait ſe in diſputatione contra me prima commemorauiſſe, ad id in Præfatione Apologetici reſpondi, eiuſmodi iſtorum nugas ad rem inter nos controuerſam omnino nihil pertinere. Quid enim obtinuerint iſti magnum contra rationem ipſam Scholaſticæ Theologiæ, ſi conceſſero, nonnullos ex his, qui eam tractauerunt, feciſſe aliquando curioſius, longiusq́; in minutiis quibuſdam progreſſos fuiſſe quàm attinebat, aut horridius etiam & incommodius fuiſſe interdum locutos? Illicóne ſequetur, nihil earum rerum, quas in Scholaſticorum libris iſti ob ingenij tarditatem, exiguitatemq́; doctrinæ non intelligunt, eſſe veri aut ſolidi?

Quæ autẽ dixi aliquoties me breuitatis cauſa velle in iſtius Spongia præterire, ea quidem neq; ſcripturæ teſtimonia, neq; argumenta fuerũt, vt ille iam malitioſè ſimulat, ſed mendacia, conuitia, contradictiones, cauilli prius à me diluti, aut hæreſes à propoſito alienæ, aliisq́; in locis vel à me vel ab aliis ſufficienter cõfutatæ, vt prudẽs lector animaduerſis locis, q̃bus ſimile quippiã dixi, iisq́; collatis cum iſtius nugis, facillimè deprehendet.

Fol.48.& in præfatione.

Vide in pręfat.confuta. ſpong. pag. 3. & pa.23. 28.&31.34. 41.44. 47. 51.&60. in 4. In 8.autẽ p.329.338. 344.349. 353.369. 374.382. 398.&c.

Ad precatiũculas verò quod attinet, quas iſte hinc inde collegit, vt in quæſtiõe de re ex voculis, quæ bonum etiam ſenſum habere poſſunt, cauillando probaret, nos eſſe idololatras, abundè à me tum in Apologetico, tum in confutatione reſponſum

ſum eſt. Ad quæ loca, cùm iſte noui nihil afferat, remitto lectorem. Quem nihil dubito indicatu-rum, meritò Herbrandum à me ridiculum eſſe habitum, quòd homo ſenex adeò prudentia ca-ruerit, vt non intellexerit, precatiunculas eius generis, ſi quæ minùs commodæ, quod ad verba attinet, in orariis, & antidotariis, & ſtellariis, et horarum curſibus, & aliis eius farinæ obſcuris corroſisq; libellis reperiuntur, vel commodè ex-poni poſſe, vel priuatorum certè ſimplicitatem (non enim ſunt talia communi Eccleſiæ calculo, vt iſte falsò ſignificat, approbata) rectæ rationi innocandi atque precandi ſanctos præiudicare neque poſſe, neque debere.

Cap. 6. Apolog. & in defenſióe eiuſdem cap. in conf. ſpong.

Fol. 51.

Nam quod quærit, cur non ea, quæ ſunt iſtius generis, abrogentur; iam antè reſpondi, omnino eſſe in hac parte ab Eccleſia cautum; quod iſte ſurda aure nunc præteriuit. Neq; eadem nunc noſtra cauſa eſt, quæ fuit olim eorum, quorum idololatriã prophetæ iuſtiſſimè redarguerũt atq; exagitarunt, vt iſte impudenter iterum calum-niatur; diſſimulãs interim, quemadmodũ hanc contumeliã antea in Apologetico refutauerim. Sed nihil eſt opus repetere quæ ſunt dicta priùs. Quale autem illud ſit quod de Gerſonis defini-tione hic iſte ſcribit, vt ex laqueo euadat, quem eam priùs approbans parauit ſibi, ſuprà ſatis eſt à nobis expoſitum; ſic etiam quàm illa ſit horrẽda

Fol. 51. In Apolog. fol. 44. in 4. & 221. in 8.

Vide Apol. cap. 2. præſertim fol. 15. b. in 4. & 120. in 8.

In expli. primæ cauſæ veræ.

Fol. 54. *blaſphemia, quam hoc loco iſte quoque euomuit, Sãctos videlicet ne munere quidem diuino poſ-ſcognoſcere occulta cordium, luculentis exemplis ex Scriptura ſacra depromptis docuimus.*

In explicat. quartæ cauſæ veræ.

VII.

INIQVO *etiam animo tulit, quòd auctorum quorundam teſtimonia, quæ mihi obiecit, aut expoſuerim, aut tanquam auctoritatis nõ omnino ſuſpiciendæ reiecerim; ponitq́ eius rei exẽpla tria vel quatuor, quæ ſatis ipſa declarant, nihil à me in ea parte peccatum eſſe. Primùm enim quòd Gelaſium non vt pontificem, ſed vt doctorem ſcripſiſſe quædam dixi; Si quid interſit inter ea, quæ à pontifice, vt eſt doctor quidam, & ea quæ ab eodem, vt pontifex eſt, definiuntur, iſte intellexiſſet, minùs ipſi diſplicuiſſet fortaſſe. Illud enim ſignificare volui, Gelaſium non ita pronunciauiſſe, quaſi voluerit ad ſententiam ipſius credendam, obligare vniuerſam Eccleſiam, quod eſt propriè tãquam pontificem atque paſtorem Eccleſiæ totius conſtituere. In qua re ob promiſſiones Eccleſiæ factas, aduersùs hæreſim atque inſcitiam veſtram conſtanter docemus atq; probamus, pontificem, dum fidei decernit controuerſias, errare neutiquam poſſe. Secùs autem cùm aliâs quid ſibi aliqua de re videatur, ita ſimpliciter exponit, vt poſſet*

Vide in Apolog. c. 5. & in confu. ſpõg. in defenſione illius cap.

poſſet alius quiſpiam vir eruditus; quod eſt à pontifice aliquid tanquam a doctore dici. Neque verò hac ratione tantùm ad Gelaſij teſtimonium reſpondi; multò verò minùs ipſum erraſſe abſolutè dixi, vt Herbrandus hoc loco ea veritate ſcilicet, qua ſolet vti in cæteris, mihi imponit; ſed illius etiam ſententiam interpretatus ſum; & quemadmodum non immeritò à quibuſdam, num ea ſententia fuerit Gelaſij, dubitetur, expoſui; quæ omnia iſte ſuo more diſſimulat. Fol. 55.

Iam Panormitani ſententia, vnius videlicet priuati auctoritatem ſcripturæ teſtimonio firmatam, in rebus ad fidem pertinentibus, auctoritati pontificis aliquando præferri poſſe; idcirco à me priùs, ſicut etiam ab aliis, minùs probata eſt, quoniam quidquid priuatus è Scriptura ſacra alleget, vbi tamen pontifex controuerſiam fidei cum autoritate determinat, illud magis Scripturæ ſacræ conſentaneum eſſe credendum eſt, quod à pontifice definitur. Quod Panormitanus mihi non tam negauiſſe, quam non conſiderauiſſe videtur.

Itaque euaneſcunt omnes illæ nugæ & calumniæ, quas iſte hoc loco ſolita petulantia contra nos congeſſit, quaſi Romanum pontificem Deum aliquem, aut etiam Deo ſuperiorem faceremus, qui contra ſcripturas etiam ſit audien-

dus. Non hoc dicimus. Nam pernegamus contingere poſſe, vt pontifex aliquid in rebus controuerſis cum auctoritate definiens, (ad quod ſcilicet credendum obliget vniuerſam Eccleſiam) Scripturæ ſacræ repugnet. Sed illud aſſeueramus conſtantiſſimè, hæreticos eſſe, qui non credunt id Scripturæ ſacræ conſentaneum eſſe, quod ea ratione pontifex definit.

Quod ipſum, vt alia nunc omittam, quæ alibi, ſi Deus voluerit, vberiùs tractabuntur, cum eo etiam bene congruit, quod hîc Herbran-
Fol. 57. *dus confitetur, in materia etiam religionis conueniens eſſe, vt vnus aliquis cæteris præſit. Quæro enim, an non iſtius vox, ſi quid in fidei controuerſia tenendum eſſe doceat, à cæteris omnibus ex diuino præcepto ſit audienda. Si audienda eſt, non igitur poterit is alios fallere; tunc enim obligaret illos* DEVS *ad id tanquam ex fide certum recipiendum, quod non eſſet ex fide certum. Si autem eius, qui religioni præeſt, audienda vox ac recipienda tanquam infallibilis fidei non eſt, careret omnino religio præſide in eo negotio, quod eſt in religione ſummum; vt ſcilicet exorientes controuerſiæ, num hoc aut illud ſit verum ex fide, num hic aut ille veriùs ſcripturæ ſenſum aſſequatur, rectiùsne locorum ſcripturæ collationem inſtituat, aut conuenientiùs analogiæ fidei ratiocinetur, & cætera quæ-*

ſtiones

ſtiones, quæ de omnibus huius generis mediis inueniendæ veritatis, ab aduerſariis inſufficienter aſſignatis, moueri poſſunt, finiantur tandem præcluſo aditu tergiuerſationi: Atque ita Chriſtiana religio nihil aliud eſſet quàm babel id eſt confuſio, in qua vnuſquiſque iudicium ſuum, quo ita vel ſecùs de ſcripturæ ſenſu atque collatione opinetur, pro credendi regula ſequatur. Verùm hæc hactenus quòd ad ſententiam illam Panormitani attinebant, in propoſito ſatis fuerint.

Expoſtulat præterea iſte mecum, quòd ſententiam Caſſandri, qui ſcripſit errorem eſſe, ſanctos pro patronis deligere, non approbauerim. Quaſi ego iſtius eiuſq; collegarum gratiam captem, vt falſam iſtam, ne quid modò grauius dicam, ſententiam Caſſandri, quoniam ipſis placet, laudare debeam. Dixi priùs, & iterum modò affirmo, adeò me iudicare iſtos ex eorum numero eſſe, qui dicunt falſum verum, & verum falſum, vt vel eo nomine mihi diſpliciturum ſit aliquid in materia inter nos controuerſa ſcriptum, quòd ipſis illud probari intelligam. Quantò magis ſi tale aliquid cognoſcam, per ſe quoque cum veritate pugnare? Fol. 58.

Quòd autem hîc iterum, quaſi derepentè doloris quodã ſtimulo compunctus, (eò quòd principales etiam eius ineptias exinaniuerim,) quæ-

ritur, me appellaſſe ipſius argumentum vaniſſimum, quo cultum aliquem, niſi Dei mandato imperatus ſit, illicitum eſſe concludit; nihil omnino miror. Eſt enim illi planè pudendum, quòd eam hactenus vanitatem argumentationis pro Theologiæ principio habuerit. Qua de re ad ea quæ à me ſunt dicta priùs, illud vnicum propter hominis tarditatem iam addã: Cum argumentandi eum modum reprehendo, quo infertur, cultum eſſe prauum, ſi mandato aut expreſſa ſcriptura careat; nihil minùs me quàm DEI *mandatum, aut Scripturam ſacram reprehendere. Aliud enim eſt argumentum ipſum quo ſcriptura expreſſa, & mandatum ineptè requiritur; aliud ipſa ſcriptura, ſiue mandatum. Quam ob rem iuſta inuectiua mea in argumentum iſtius, nihil minùs quàm blaſphemia* Fol.59. *in Scripturam ſacram eſt; vt ille, non minùs ex ignorantia fortaſſis, quàm ex malitia mihi obiicit.*

Illæ verò calumniæ, quas hoc loco interponit, tàm perſpicuo mendacio nituntur, vt ad earum confutationẽ, referre breuiſſimè ſufficiat. Significat enim, nos pro vero non habere, quod ſcripſit Fol.59. *Moyſes futurũ, vt ſemẽ mulieris calcaret caput antiqui ſerpentis. Item firmiter nos non credere remiſsionem peccatorum gratis donari propter filium. Item fiduciam nos Mediatoris qua acce-*

datur

datur ad Deum damnare & anathematizare. Item de articulo remiſſionis peccatorum dubitandum eſſe docere. Et tamē queritur, ſi dicam, bellum cum veritate ipſum gerere. Aliud eſt, Petrum aut Joannem neſcire prorſus certò, num ipſe ſicut oportet fecerit, quæ neceſſaria ſunt ad gratiam & remiſſionem peccatorum per Chriſtum conſequendā; aliud de articulo remiſſionis dubitare, num ſcilicet facientibus cum diuino auxilio totum id quod debent, gratia remiſſioq́ peccatorum per Chriſtum contingat. Primum illud nos cōtra inanem ac temerariam iſtorum fiduciam, euidentibus rationibus ac Scripturæ teſtimoniis docemus: Secundum ſalua fide fieri poſſe negamus: quia firmiter in ſymbolo profitemur articulum remiſſionis peccatorum.

Reſtat, quod attinet ad hanc ſeptimam cauſam, unica querimonia: quòd Synodum Francfordianam, in qua nugantur iſti Synodum alteram Nicenam, celebratam pro imaginibus, Caroli Magni opera fuiſſe damnatam, dixerim eſſe fabuloſum commentum ſectariorum. Sed fruſtra hoc ille queritur, donec Alani Copi diligentiam, qua obieci figmentum hoc cum ſuis coloribus eſſe detectum, confutauerit; ſicut antè popoſci. Nam quod ait, me iniuſtè facere quòd ei Synodo Alanum Copum opponam, qui longo pòſt tempore venit, valde ſanè eſt ridiculum.

Non enim ego iſti authoritatem Alani (eſt enim author recentiſſimus) ſed Alani inprimis diligentiam, ſtudium, argumenta, quibus illud cõmentum libri ſiue Synodi refutauit, oppoſui.

VIII.

E*XEMPLIS ſe ad extremum docere velle inquit, quemadmodum à me ſit in locis aliquot ſcriptura ſacra corrupta: Verè autem non hoc, ſed ſe potiùs, quæ ad expoſitionem quorundam locorum ſcripſi, partim non intellexiſſe, partim calumniatum fuiſſe, neque potuiſſe refutare docet. Quod vt planum lectori faciam, breuitate qua potero, citata ab iſto teſtimonia percurram.*

Fol. 6. b. I. *Idololatriam in cultu etiam ad verum Deum relato committi poſſe, ex eo iſte in ſpongia probare conatus eſt, quòd per Oſeam Deus* Oſeæ 2. *dixit futurum, vt populus Iſraël non vocaret ſe ampliùs Baalim. Quaſi ſit ſenſus, futurum fuiſſe, vt non ampliùs idololatriam ille populus exerceret, quam antè ritu Baalitico venerando Deum verum admiſiſſet. Ego autem ex diuinis verbis, quæ in eodem loco legimus, docui primò, non commemoraſſe ibi Deum cultum aliquem, ab Iſraëlitis Baalitico ritu ſibi exhibitum, ſed idolis Baalin. Inquit enim: Viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accẽdebat incenſum, et*

In confuta. ſpõg. fol. 15 in 4. & 315. in 8.

Oſeæ 2.

ornaba-

ornabatur inaure ſua & monili ſuo, ET IBAT POST AMATORES SVOS, ET MEI OBLIVISCEBATVR, *dicit Dominus.*] *Neq; enim intelligi poteſt, quomodo verum duntaxat Deum ille populus tum venerabatur, cùm oblitus Dei ibat poſt* AMATORES SVOS, *id eſt, Deos alienos. Secundò falſa in hunc modũ Herbrandi interpretatione confutata, ſenſum loci verum his verbis indicaui: Quod ergo, inquã, inferiùs dicit, Et non vocabit me ampliùs Baalim*] *futurum ſignificabat, vt populus, quiſnam eſſet verus Deus, agnoſcens, nõ ampliùs falsò cogitaret, eum Baalim ſiue idola eſſe; ſicut infideles faciunt, qui cùm generatim concipiunt notitiam aliquam de Deo veram, eam ex errore accommodant ad idola vel alias creaturas, quæ nõ ſunt verè Deus; atq; ita hunc ipſum verum Deum, generali notitia priùs cogitatum, nominibus earum creaturarum vel idolorum inſipienter afficiũt. Cum qua expoſitione illa verba, quæ apud eundem Prophetam ſequuntur, conuenire dixi: Et auferam nomina Baalim de ore eius, & nõ recordabuntur vltrà* NOMINIS EORVM.] Cap. 2.

Quid verò Rabbinus Tubingẽſis modò? Videlicet expoſitionis huius meæ, quæ planè oſtendit verum loci ſenſum, ac falſum ab iſto aſſignatum redarguit, quia vel eam Theologus ſimpliciſſimus, vt pleraque alia, capere non potuit, vel certè

certè noluit dare gloriam Deo, ne verbulo quidem mentionẽ fecit. Sed rem non ſine metu fortaſſis, ne illi ſilentium exprobrarem, diſſimulans infinitis nugis ac multa inſcitia rationem illam, tantùm cauillatus eſt, qua, vt notaui antea, ex textu probaui primò, Deum illic non agere de cultu ſibi exhibito, ſed de eo, qui Baalim atque alienis amatoribus adhibebatur.

Fol. 62. &c. *Eorum autẽ omnium, quæ verboſè valde hîc obiicit, ſumma eſt, ſecundùm ſcripturæ phraſim, obliuiſci Dei eos etiam dici, qui perinde aliquid cõtra Deum committunt, atq; ſi Dei prorſus nihil recordarentur: eaq; ratione vocabulum obliuionis ad obliuionis etiam effectum accommodari. Quod vt maximè verum ſit, iisq; ſcripturæ teſtimoniis, quæ iſte adducit, confirmetur: animaduertere tamen hoc loco vir bonus debuiſſet, duo nihilominus ipſi obſtare, quò minùs ea ratione obtineat, Iſraëlitas illos in cultu veri Dei admiſiſſe idololatriam. Vnum eſt, quòd illi etiã, qui contempto vero Deo creaturam aliquã inſipienter pro Deo colũt, ſecundùm eam quoq; ſcripturæ phraſim Dei obliuiſcũtur: quoniam tales item, & quidem maximè aliquid contra Deum perinde committunt, ac ſi prorſus Dei nõ recordarentur. Alterum eſt, quòd vt hoc ipſo modo, ſcilicet colendo creaturam relicto Deo, interpretemur Iſraëlitas illos apud Oſeam oblitos Dei fuiſſe,*

fuiſſe, illud maximè mouere debet, quod ibidem Deus non quomodocunq; illos oblitos ipſius fuiſſe queritur, ſed ita vt ſimul IVERINT POST AMATORES SVOS. *Itaq; rectiſſimè illud à me priùs in confutatione Spongiæ dictum eſt: Si cultus ille Baaliticus ad verum Deum dirigebatur, quomodo erat cum veri Dei obliuione (tali videlicet, qualem proximis verbis ex Propheta commemoráram, ſcilicet eorum, qui irent poſt amatores ſuos) coniunctus?* Loco ſuprà citato.

Hæc igitur, quod ad hunc locum attinet, Lector conſideret, et quàm fuerit Herbrandi labor hîc vanus ac leuis, intempeſtiuaq; ſcurrilitas, facilè intelliget. Quod autẽ iſte hîc inſerit, Iſraëlitas, cùm in deſerto adorauerũt vitulum, Deum verum in ipſo veneratos eſſe, quoniam dixerãt: Cras eſt ſolennitas Domini IEHOVA; *non ſatis mirari poſſum eius vel imbecillitatẽ memoriæ, vel certè impudentiã, quòd hoc repetat poſtquam toties exprobraui, ipſum nihil ad ea reſpõdiſſe, quibus eum redargui non tantùm erroris contra ſcripturam ſacram, ſed etiã ſtultitiæ, quòd in eo dogmate paradoxo cum Caluino cõſentiat. Stultum eſt enim valde (vt inter cætera, in quodam loco Apologetici ad marginem ſcripſi) ex eo quòd Iſraëlitæ vitulum nomine veri Dei affecerint, colligere, illos nõ habuiſſe vitulum pro vero Deo: cùm potiùs ſi quid ex ea appellatione concluden-*

Fol. 64.

Vide ſuprà in cauſa 4. vera.

Fol. 53. b. in 4. & 255. in 8.

cludendũ eſt, concludere oporteat planè contrarium. Sed non ſunt iam repetenda, quæ in Apo-
Cap. 1. *logetico præſertim, copioſè ex diuinis literis diſputauimus, vt oſtenderemus, nunquam veram idololatriam in cultu, qui ad verum Deum dirigeretur, fuiſſe commiſſam. Quæ ſatis ſunt pro omnibus, quæ iſte in omni vita ſua ad ſuum cõmentum confirmandum afferre poteſt.*

Iudic. 8. II. *Quod in libro Iudicum legimus: Et fornicatus eſt in Ephod omnis Iſraël, hoc idem tum in*
In Apolog. fol. 12. a. in 4 & 108. in 8. *Apologetico, tum in ſpongiæ cõfutatione aſſerui, eodē in loco poſtea recenſeri, cùm narrata morte Gedeonis ſubiungitur, quemadmodũ populus*
In confutat. fol. 19. in 4. & 322. in 8. *Iſraël fornicatus fuerit in Baalim, percuſſeritq́; fœdus cum eo, vt eſſet ipſis in Deum &c. Quam interpretationem in Apologetico (notata Scripturæ phraſi in aliis locis) oſtendi conuenire textui; ſicut etiam idem in confutatione Spongiæ ex ipſa hiſtoriam conſcribendi ratione declaraui: iuxta quam conſtat, non ſemper narrationis ordinem ordini temporis ac rerum geſtarũ reſpondere. Vnde factum eſſe dicebam, vt eiuſdem peccati idololatriæ, quod mortuo Gedeone ab Iſraëlitis in cultu Baalim commiſſum fuit, prius etiã in narratione factorum Gedeonis mentio fieret; quoniã ei videlicet peccato Gedeon dum viueret, occaſionem aliquàm, quando Ephod fieri curauit, præbuiſſet. Hunc igitur locum propterea*

quòd

quòd non duo, ſed idem peccatum populi Iſraël bis illic cõmemorari, expoſuerim, corrupiſſe me dicit Herbrandus. Neq; aliter quod dicit probat, niſi dicẽdo idem, quod antea quoq; ſine probatione, vt illi exprobraueram, dixerat, non vnũ ſed diuerſiſſima illa fuiſſe peccata. Ita cùm eius apud me iam authoritas nihilo quàm antè maior ſit, ſed indies potiùs fiat minor, credere illi magis nunc quàm antea non debeo. Fol. 66.

III. *Qui ſacrificia olim diuinitus inſtituta eo fine faciebant, vt à peccatis expiarentur, eos iſte aſſeruit, ac nũc repetit, propter circumſtantiam eiuſmodi finis commiſiſſe idololatriam, etiamſi ſoli vero Deo ſacrificarẽt: Idq; ineptè ex illo loco Michææ concluſit; Nunquid placari poteſt Dominus in millibus arietũ? etc. Obieci, conſequenter illùm blaſphemare debere, atque concedere, Deum illi populo præcepiſſe idololatriam; quoniam iuſſit, vt faceret ſacrificia expiatoria. Reſpondet autẽ modò non id eſſe conſequens; Quoniam ſacrificia illa non ex vi ſua ſed tantùm typicè, id eſt, vt figura erãt ſacrificij Chriſti futuri, valebãt ad peccatorum expiationem. Atqui hoc ego antè non ignorabã: quippe cùm in eũ ſenſum expoſuerim (quod iſte videtur nõ meminiſſe) illum ipſum Michææ locũ: Nunquid placari poteſt Deus in millibus arietũ etc. quem iſte perſè ad cõmentitiam idololatriã, quæ in cultu veri* Fol. 67. Michææ 6. Fol. 67. Vide Apolog. fol. 12. b. in 4. & 110. in 8.

Dei etiam conſiſtat, detorſerat. Sed quod ego volebam eſt, non hoc ipſo Iſraëlitas cõmiſiſſe idololatriã, quòd ſacrificia illa ad expiationẽ peccatorum tanquã ad finẽ conferrent; ſicut iſte dixit: Potuerunt enim ad hunc finem, illa ita referre, ſicut ad eum cõſequendum ipſa valebant; nempe vt ea offerẽtes, expiationem peccatorum virtute ſacrificij Chriſti, cuius illa ſacrificia erant typus, conſequerentur. Nam vt Deus ad hunc finem ea ſacrificia imperauit, ita eorum vſu ſine idololatria potuit ille populus eundem finem ſpectare. Itaq; ſi in ſententia Herbrandus perſeuerat, eaq; ſacrificia propter circumſtantiam propriè illius finis, vult eſſe idololatriam, blaſphemiæ crimen non euadet.

Deutero. 4. & 12. IIII. *Interpretationem porrò, quam illi loco, Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, etc. adhibui, copioſeq; probaui, adeò nunc iſte ſcilicet* Fol. 68. *eruditè oppugnat, vt eam cõfirmet potiùs. Nihil enim aliud probat, quàm quòd nõ ita mandatũ illud accipiendum ſit, vt circumciſionis etiã præceptum adimplere debeamus; tametſi dixerit Dominus: Neq; quidquam addas,* NEC MINVAS. *Hoc autem cùm ego etiam poſuerim, vt inde aduersùs iſtum probarẽ, verba illa Domini non ita vniuersè accipienda eſſe ſicut ſonant, meas partes agit, cùm idem modò ipſe probat.*

Fol. 69. *Quod autem quærit, cur non pari modo concluſe-*

cluſerim, ſi ſentētia illa generatim, vt ipſe voluit, ac ſine reſtrictione ſit accipienda, cōſequens eſſe, vt quilibet etiam debeat mactare ſuum filium; quia Deus Abrahæ præcepit, vt id faceret: Reſpondeo breuiter, ideo me non ita etiam argumentatum fuiſſe, quoniam cùm dixit Dominus: Quod præcipio tibi, hoc tātùm facito, nec addas quidquam nec minuas; de his, quæ multitudini vniuerſæ præceperat, eſt loquutus. Tale autem non fuit præceptū illud, quod dedit vni Abrahæ; benè autem præceptum circumciſionis, atq; aliarum præcepta cæremoniarum, quæ idcirco, ſicut in confutatione ſpongiæ oſtendi, eo locò Dominus eſt etiam cōplexus. Ita, ſi ſententia illa omnino vniuersè, vt iſte vult, quoad omnia præcepta, de quibus loquitur, accipienda eſſet, ad nosq; ita pertineret, circumciſionis præceptum omnes iam ſeruare debere (quod eſt abſurdum) conſequeretur, non autē præceptum illud Abrahæ ſoli datum. Lector videat quæ latiùs à nobis de illò loco diſputata in Apologetico & in confutatione ſpongiæ ſunt, & animaduertet, non habere iſtum ampliùs quod hîc nugetur.

In Apolog. fol. 17. et ſequent. in 4. & 125. & ſeq. in 8. In confuta. fol. 28 in 4. & 339. & ſeq. in 8.

V. Commemorat poſtremò Iſaiæ quendam locum, ex quo priùs ſacrificium Miſſæ probaueram; vbi Iſaias de ſtatu Eccleſiæ noui Teſtamēti ex perſona Dei loquens, inter cætera inquit: Holocauſta eorum et victimæ eorum placebunt

Eſai. 56.

mihi SVPER ALTARI MEO; *quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.*] *Unde cõcluſi, holocauſta & victimas Chriſtianorum eo loco ſacrificia externa propriè dicta debere intelligi, ſicut de altari etiã & Eccle-*
Matth. 21. *ſia materiali Propheta ibi loquitur; vt* CHRISTVS *teſtimonium hoc ad materiale templum*
Fol. 28. *accommodans, eſt interpretatus. Obiecit autem iſte in ſpongia, non debere teſtimoniũ hoc de externo Miſſæ ſacrificio intelligi, primò quoniam de ſpiritualib⁹ ſacrificiis precũ, et prædicationis Euangelij &c. loquatur ibi Propheta. Secundò quoniã id vaticinium tantùm ad Hieroſolymitanum templũ pertinuerit, in quo quæro, inquit,*
Cap. 5. *an vllæ vnquã fuerint celebratæ Miſſæ? Rurſus ego contrà in confutatione ſpongiæ oppoſui primò, Iſaiæ vaticinium ad ſpiritualia illa ſacrificia nullo modo accommodari poſſe, cùm ea minimè ſint eiuſmodi, quæ ſuper altari materiali ſoleant imponi, qualia ſunt holocauſta illa, de quibus Iſaias eſt eo loco vaticinatus. Secundò, cùm prophetia hæc ad ſacrificia noui Teſtamẽti pertinuerit, Iſaiam illic non tantùm de Hieroſolymitano templo eſſe locutum, ſed de omnibus aliis etiam, quorum eſt in Eccleſia vſus: In quibus, quæro, inquam, (vt contrariam iſtius interrogationem interrogatione retunderem) an non multæ ſint celebratæ Miſſæ?*

Quor-

Quorſum autem nunc iſta repetitio? Vt intelligat nimirum lector, quàm Herbrandina fide atq; arte iam Herbrandus, quæ in hunc modũ vltrò citroq; a nobis de illo Iſaiæ loco diſputata erant, diſſimulet; quando ſolùm narrat ex eo me probare voluiſſe, Prophetam illic de Miſſa eſſe vaticinatum, quia nõ de Hieroſolymitano tantùm templo loquatur, ſed de omnibus aliis Chriſtianorum, in quibus multæ ſint celebratæ Miſſæ. Cùm tamen ego de aliis etiã templis Iſaiam prædixiſſe, non tam vt probarem de Miſſa intelligi id vaticinium, (hoc enim ex aliis circumſtãtiis oſtendi) quàm vt refellerẽ vanam obiectionem iſtius, qui mihi, vt antè retuli, oppoſuerat, idcirco non poſſe locũ de Miſſa intelligi, quià de tẽplo tantùm Hieroſolymitano, in quo nullæ fuerint Miſſæ celebratæ, prædixerit illic Iſaias. Fol.70.

Quare iterum iſte malè de veritate meretur, (tædet enim me toties nominare mendacium) cùm ait, hanc fuiſſe argumentationem meam: Iſaias vaticinatus eſt de victimis ſuper altari in nouo Teſtamento ponendis. At multæ Miſſæ pontificiæ ſuper altari ſunt poſitæ ſeu celebratæ; Ergo Iſaias de Miſsis põtificiis eſt vaticinatus.] Sed hæc potiùs fuit vis argumentationis meæ: Iſaiæ vaticinium ad aliqua ſacrificia externa, quorum ſit (ſecũdùm prophetiæ veritatẽ) in Eccleſia noui Teſtamẽti vſus, accommodari debet;

quia de ſacrificiis ſuper altari materiali ponēdis, cuiuſmodi ſunt ſola externa, loquitur: At nō alia huius generis ſacrificia nouit Eccleſia præter ea, quæ fiunt in celebratione Miſſarū: In hac igitur conuenit vaticinium. Atq; hanc quidē illius loci interpretationem illa etiam circumſtātia textus confirmari poſſe, in ſpongia cōfutatione aiebam, quòd eiuſmodi ſacrificiis commemoratis, e veſtigio inuitātur gentes ad edendum de rebus ſuper altari oblatis. Subiūgit enim Propheta; Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, vniuerſæ beſtiæ ſaltus: beſtias enim hoc loco intellexit gentes prauis moribus prius extra Eccleſiam efferatas; ſicut etiam apertius ſeptuaginta interpretes verterūt; Omnes beſtiæ agreſtes, venite, comedite, omnes beſtiæ ſyluæ. Itaq; rectiſſimè illius loci ſenſus conſtat, ſi illum ad myſteria accommodemus ſanctæ Euchariſtiæ, quam Eccleſia & ad ſacrificandi, & ad ſumendi vſum ex CHRISTI *inſtitutione confert, vt à nobis aliàs cōprobatur.*

In defenſione ca. 5. Apolog. ſub finem.

Quocirca non ego hunc Iſaiæ locum corrupi, ſed Herbrādus probationem meam, quam ex eo rectè duxi, leuiter cauillatus eſt, & malitiosè etiam texit ac obruit, omittens præcipua fundamenta, quibus nitebar: ad quæ ille neque reſpondit, neq; verò reſpondere quidquam potuit. Vt enim ſtultiſſimum dictu eſt, prædicationem Euangelij, aut preces, aut alia id genus ſpiritualia

ſacrificia ſuper altari materiali imponi, ibíque offerri, ita inſigni ſtultitia non vacat interpretatio iſtorum, cùm aiunt, huiuſmodi ſacrificia eſſe holocauſta illa & victimas, quas Iſaias in illo loco commemorat. Nam quod addit iſte, ſe ex eodem Iſaia, atq; etiam ex Malachia Propheta aliâs probare, ſacrificiorum tãtùm ſpiritualium oportere in Eccleſia eſſe vſum, id verò dogma quàm ſit impium, alibi copioſiùs fortaſſe quàm iſte cupiuiſſet, ipſius ſuorumq; nugis omnibus confutatis, oſtendimus. Fol. 70.

Quod tandem in fine excuſationis ſuæ ait, velle ſe, ne crimen agnoſcere videatur, paucis ad ea reſpondere, quibus ego in extrema parte confutationis Spongiæ obiter indicaueram, quemadmodum ille cum ſuis ex Eccleſia vera, aliarum hæreticorũ more, exiuerit, omnino ſic præſtat, vt agnoſcere potiùs quàm diluere crimen meritò videri poſſit. Primùm enim non ad orationem meã totam reſpondet, ſed illam eius partem ſilentio præterit, qua præcipuè ipſos pungebã. Cùm enim ægrè priùs tuliſſet admonitionem meam, qua illum, vt ad Eccleſiam rediret, paucis hortatus ſum, meq; potiùs vt redirẽ ipſe, magna cum vanitate adhortatus eſſet; perperã atq; inconſideratè ipſum facere dixi. Nam cuínam, inquam, eſſe redeundum cenſes, nónne illi, qui exiuit? & quínam, obſecro, exiuerunt? nóſne ex Fol. 71.

vobis,an vos ex nobis? Quænam eſt illa Eccleſia Lutherana Herbrande, ex qua Catholici ante natum Lutherum exiuerint, vt ad illam, adhortatore te,redire debeant? Age oſtende nobis eam ſupra montem poſitam, ad quam omnes, tanquam ad aſylum & commune ſalutis perfugium potuerint ſeſe recipere; Vbi fuit ante centum,ducentos,trecẽtos,mille annos? quos habuit Epiſcopos? quos Doctores? quos hæreticos condemnauit & oppreſſit? qua ratione,quibus legibus,à quibus gubernata fuit? quæ concilia celebrauit? de quibus controuerſiis conſtituit? quæ ſanxit? quem curſum habuit? quomodo propagata eſt & diffuſa per orbem terrarum? An latêre ſemper & opprimi hæc tua Eccleſia potuit? aut ſi non latuit,nullane res in ea dignæ contigerunt,quæ literis conſignatæ poſteritati commendarentur?] Ad hanc,inquam,potiſſimam orationis meæ partem, quæ iſtos non niſi in latebris neſcio quibus,atq; cauernis occultam Eccleſiam ſuam oſtendere, adeoq; proteſtari cogit, ſe non habere eam Eccleſiam, quam Scriptura nobis ſupra montem poſitam,ad quam vndequaque pateat acceſſus, cuius portæ non claudantur die ac nocte,in qua libera reſonet & audiatur Doctorum atque Paſtorum vox, &c. ſed planè ab ea defeciſſe turpiter, ſicut aliâs eſſet demonſtrandum vberiùs.

Deinde

Deinde ne reliquam quidem partem orationis meæ ſatis expediuit. Subiunxi enim continẽter: Quam Eccleſiam ſomnias Herbrande? quò nos hortaris vt redeamus? Ad ſynagogámne, vel ad antrum veſtrum, vnde, cùm in eo non fuerimus, nunquam exiuimus? vbi tam noui, tam pauci, tam indocti, tamq́; opinionibus diſſidentes eſtis? vbi nullus ordo antiſtitum, quibus DEVS *Eccleſiam ſuam regi voluit, conſpicitur, nulla recti cultus cæremonia, paſtor nullus, obedientia fidei nulla.*] *Ad hæc autem ſic reſpondet, vt ſumma ſit, habere ſe Eccleſiam non niſi planè Apoſtolicam, in qua nihil eorum notari poſſit, quæ veriſſimè dixi in ipſorum cerni ſynagoga. Obiicitq́; nobis ridiculè nouitatẽ potius aliquarum conſuetudinum, itemq́; varietatem Ordinum, quæ in Eccleſia conſpicitur, quaſi eadem ratio doctrinæ ſit, atque eorum, quæ pertinent ad morum ac vitæ inſtituta. Neque intelligit in eadem ad beatitudinem regia via, quæ* CHRISTVS *eſt, ipſiusq́; ſanctiſſima religio, diuerſas eſſe ſemitas; eiuſmodiq́; varietate, (quæ tamen nõ careat modo) mirificè potius Eccleſiam* CHRISTI *exornari. Itaq; ad verba omnia, quæ ſæpius à ſe & ab aliis hæreticis repetita pro ſui ſuorumq́; innocentia iſte ſine probatione multiplicat, vno verbo reſpondere idem poſſum, quod ſanctus Iob ad Eliphaz Themanitem, qui cum ſuis ſociis typus*

hære-

hæreticorum fuit, reſpõdit. Cum enim verboſam eius auſcultauiſſet orationem; Audiui, inquit, frequenter talia: Subaudi, quæ ſunt nullius momenti. Quod, ſi vlli omnino hæreticorum, Herbrando inprimis homini, vt aliâs obieci, qui ſine re, ſine probatione verboſiſſimè ſæpiſſime eadem deblateret, appoſitiſſimè dici poteſt. Ne igitur alterius loci controuerſiam de Eccleſia valde illuſtrem hoc loco præter propoſitũ comprimam, hìc finem facio, diuinã bonitatem orãs, vt hunc meum laborem, quem iam libellis de idololatria quatuor, ſtudio certè incitatus gloriæ diuinæ, contra ſectariorum contumelias ſcribendis inſumpſi, velit habere gratũ; iſtorumq́; hominum oculos detracto velamine, quod eſt ſuper cor eorum, aliquando aperiat: AMEN.

LAVS DEO, ET SANCTISSIMÆ Dominæ noſtræ.

ERRATA.

In Præfat. v. 14. leg. publicè. p. 17. v. 8. poſt loquitur, inſere adorauiſſe. p 64. v. 2. poſte cogn. p. 67. ante med. quod &c. attinebat.

Explicationem hanc verarum cauſarum &c. Chriſtiano lectori vtilem futuram iudico, ideoq; typis committendam.

ALBERTVS HVNGERVS, D. Theologiæ, & Procancellarius Academiæ Ingolſtadianæ.